
Nunc meli
cula quercus
pascunt, redduntq orui
Axem humeris torquet stellis ardentibus aptu

# QVÆSTIONES

De Gratia
De Iustificatione Impij.
De Virtutibus Theologicis.
De Virtute Iustitiæ.
Et de Incarnatione Verbi diuini.

Ex prælectionibus

## R. P. MARTINI DE ESPARZA ARTIEDA

Societatis Iesu Professoris Theologiæ in Collegio Romano

Disputandæ

AB EVSEBIO COMITE TRVCHSES
S.R.I. Dapifero hæreditario &c.
Collegij Germanici & Hungarici Alumno

*Pro Laurea Theologica*

Sub felicissimis auspicijs

ALEXANDRI VII.
PONT. OPT. MAX.

*Romæ in Aula Collegij Germanici, & Hungarici Anno 1655. Die Mensis*



Romæ, Typis HH. Corbelletti. M.DC.LV.
*Superiorum permissu.*

Imprimatur, Si videbitur Reuerendissimo P.Mag. Sac. Pal. Apost.

*M. A. Oddus Vicesg.*

*Imprimatur,*
Fr. Raymundus Capisuccus Ord. Præd. Sac. Apost. Pal. Mag.

# ALEXANDRO
## SEPTIMO
### PONT. OPT. MAX.

***EVSEBIVS COMES***
*Truchsessius. Fal.*

FERVNT Demaratum, BEATISIME PATER, cum Alexandrum Magnum in aureo, regioque Persarum solio sedentem Susis vidisset, erumpentibus præ gaudio lacrymis egisse Dijs Patrijs grates, quod se

Græcum hominem ad tam beati spectaculi diem benignè sepofuissent. Easdem planè gratias non vna tantummodo Græcia, sed ex omnibus Gentibus vniuersi, singulique homines Deo referre tanto impensius debent, quãto beatius est Alexandrum VII. Maximumque in solio Petri, quam illum in solio Darij vidisse. Nã fuisse Macedonem, & Historici, & Poetæ testantur; *Terrarũ fatale malũ fulmenq; quod omnes, percuteret Populos pariter, & sidus iniquum, Gentibus*; Tu vero, omnium Nationum iudicio, tãquam ad Orbis Vniuersi beneficium natum, exortumq; nuperrimè Astrum adoraris. Certè non nisi arcano quodam Diuinitatis instinctu Populorum animi, mentesq; feruntur, cum eamdem planè rẽ putent, Te cunctantis è cœli manibus extorsisse Pontificem, ac fæli-

Lucan. lib. 10.

cita-

citatem publicam impetrasse. Nimirum ex quo ad clauum, regimenq; publicæ salutis admotum Te vident, sui immemores, negligentes futuri, ne votis quidem, precibusque, apud superos certãt, vt tot occursantia mala propulsent, sæculumq; fortunent. Scilicet de incertorum casuum ambiguitate securi, repulsum Othomannum, iugulatã Hæresim, restitutum Virtutibus decus, litteris cultum, Regibusque concordiam non tam videntur expectare, quam spectare. Hãc vnicam sollicitudinem, curamque vindicant sibi, Tuam salutem; cætera Tibi, & Cœlo remittunt. Et huc ille tendebat Nationum vniuersatum consensus & de Te totius planè Orbis ambitio: Chisium omnium vocibus, Chisium omnium designare suspirijs: Te secretò, Te palam acclamare

Pontificem . Et tamen licet omnes Te cōcupiſcerent Principem, pauci ſperarunt. Nec quidem de tuo merito diffidebant, ſed tuæ virtutis magnitudo faciebat, vt deſperarent. Videlicet immaniſſimum votum, nec modeſta fronte petēdum videbatur, vt infælix hoc ſæculum tantum à Cęlo beneficium præſumeret petere, crederet obtinere. Quamobrem multos nouo deprecationis genere vſos ſcio, cum eo deuenerint, vt quo faciliùs impetrarent, plures Tibi annos cuperent, pauciores virtutes. Ac ita, vt qualemcumq; Te Principem haberent, ea conditione fælicitas acceptabatur, & minor, & breuior. Sed vicit voti mortalis audaciam benignitas cælitum, cumulato munere Te largita Pontificem. Virtute maximum, ætate vegetum, nimirum in vno Principe

cipe fæliciſſimum, ſimulq; geminum Principatum. Ac porro illa duo maxima præſtitiſti, vt deinceps Cœlũ de Terris melius mereretur, rurſus Terræ de Cælo maiora conſiderent. Aderat quippe diffidẽtia quædam inter mortales, ac ſuperos, quaſi hi de inſenſis ſibi mortalibus vltionem ſemper exigerent, illi à ſuperis ſupplicia, pænaſque pauefcerent. At Tu tam prono fauore traditus Terris, ab ea, vt ita dicam, iniuria cœlum abſoluis, ſimulq; mortaliũ animos ad ſpes maximas erigis, cum tãto pignore, argumentoque abunde patuerit, nõ eſſe curæ Deo vltionem noſtram, eſſe fælicitatem. Certè ſi apud nos, non indubitato Religionis oraculo ſtabilitũ, ſed incertũ eſſet, & anceps ſorte ne caſuque, an præſenti præcipuoq; quodã numine da-

rentur Vaticano Pontifices; liqueret Te vnum diuinitus constitutum. Referunt Senatus Augustissimi Patres, aduesperascente ea nocte, quâ fælicitas publica conciperetur, tã inopinum, sacrumque æstium omniũ animis incidisse, vt cõceptũ, inclusũq; Diuinum impulsum non antea excusserint, quam Te Principem salutauerint. Quare omnes quidem sciunt, Te optimum optimè electum; Sed cum causas cur tam pleno suffragio elegerint, petimus, si ad bonum publicũ spectes, afferunt plurimas, si ad priuatum commodum, nullam. Et tamen nouo exemplo singuli Te elegere, cum singulorum non interesset, Te eligi. Iam quæ illius diei lætitia, quę acclamatio, cum beatum illud murmur quisquis exciperet, redderetque; Chisium, Chisiũ in humanum rerum fastigio

posi-

positum! O diem illum serenum, candidumque vniuersis, vni Tibi tamen nebulosum, ac nigrum! Diem qui cum omnium animos effusissimo gaudio cumularet, Tuos oculos lacrymis merserit. Flebas vnus, pro quo vniuersi lætabãtur! Nouum hoc certè spectaculum, & quod nulla posteritas videat, sed nulla taceat. Te maximam sortem adeptum tanquam de summa calamitate lugere, alios de tanta spe deturbatos lætari; Te indigere solatiis, illos dare, nec tamẽ darent de suo, cum in Te vno, & priuatæ repulsæ solatia, & publicæ lætitiæ causas haberent. Vos tamen Populi futuri omen Imperij gratantes accipite, lætissimumque credite principatum, quem lacrymæ auspicantur. Nescit adhuc oratio ab illius diei beata recordatione diuelli. Quid de-

Te non illa promisit dies, quæ vna longissimi Principatus fastos impleret? Adhuc stupet Roma, vt inter primas Principatus horas tot documenta pietatis, tot constantiæ dederis! Vt ab inopinæ dignitatis seu gaudijs, siue lacrymis nec absorptus, nec auocatus, Religioni maiestatem, auctoritatē Imperio, legibus robur, & suū cuique diuideres, Tibi tamen seponeres feretrum! Sed, pace hoc dixerim tua: qui exilientis vbique mundi lætitiam factis in dies auges, & cumulas, verbis minuisti, ac pæne contristasti. Etenim cum ex Sanctissimi oris tui cortina sæpissimè intonueris: Non eundem Te fore, qui antea fueras, illudque ære etiam duraturo incideres: Viuere Te iam non Te, discussa est, ac pænè turbata populorum hilaritas. Nimirū cum publica gaudia eo potissimum

ſimum cardine inniterentur]
quod certũ,perſuaſumq; habe-
rent, non auſuram aliquid in
Te mutare fortunam, talemq;
Te fore Alexandrum, qualis
fueras Fabius, viſum eſt con-
ceptæ fælicitatis fundamenta
conuelli. Eæ proinde fuere
omnium voces: Nullam in illo
conuerſionẽ morum patimur,
nullum virtutum motum pro-
bamus; Eiuſdem ac antea ſit
*innocentiæ, eiuſdem benigni-
tatis*, pariſque *conſtantiæ*, ſit
ſimillimus ſibi priuato vt ſit
optimus Princeps. Viciſſitu-
dines omnes etiam in melius
ſuſpectas habemus, vti noxias
repudiamus. Quiſquis enim
maximus eſt non mutare ſe,
niſi infra ſe poteſt.At Tu è prę-
celſo illo mentis auguſtiſſimæ
culmine, ex quo mortalia cũ-
cta deſpectas, riſu quodam
vanè trepidantium inconſul-
tas querelas, & amores hoſce
ſim-

ſimplices excepiſti. Scilicet diuinis illis verbis aliud ſonabas, aliud intelligebas; illud antea ſententiæ pondus, illa germana interpretatio erat, nō eumdem te fore Fabium, qui humanis oculis occurſabas, fore te eumdem Fabium, qui ſinu tuo latebas. Hanc vnam quippe fraudem innocentia tua nobis impoſuit, quod Te in publicum, ſcenamque præſtiteris Te vno minorem. Virtutes, quas alij, vt obtineant Principatum, certatim oſtentant ſi habeant, oſtentantque quaſi habeant: Tu ne Principatum obtineres, quamuis erumperent, diſſimulabas. Vnde licet iam explicare pleniſſimum Virtutibus ſinum, cæleſtemque illum genium pandere, cum illud conſequutus ſis in Principatu beatiſſimum, vt poſſis tuo, hoc eſt, Virtutis arbitrio viuere. Quare licet mira

ra, ſublimia fauorabili ſemper murmure de Te ſparſerit fama, nullaq; nationũ ita de Te neſcia fuerit, vt tuo nomini venerabunda non aſſurrexerit; prope tamen eſt vt exclamem,

*Famaque de forma pæne maligna tua eſt.*

An nõ tua gloria minor vero? An nõ plura in Te inuenimus, quam illa promiſerit? Innocentiſſimum quidem, prudentiſsimumque, ſed hominem tamen promiſerat, at iam, pæne dixerim, Numen videmus. Certè ſi quis paucos ante annos diuino afflatus ſpiritu ea vaticinia edidiſſet: Ad futurum breui Pontificem, qui prioribus, priſcique ſæculi, doctrina, ac innocentia par, ab omnium rerum affectu aut intactus, aut maior, quique negotia pro ſolatijs habens, totuſq; in Populorum commoda verſus ex tanta fortuna nihil

ſibi

sibi referat, decerpatq; nisi aut laborem, aut virtutem; Nonne prudentissimus quisque non vaticinia isthæc, sed ad generis humani blandimentum excogitata pulchrè commenta reputasset? Et tamen adhuc meliora cernimus, ac silemus, quam quę ille fatidico incitatus furore præsensisset. Profectò ad tam grãdem idæam reuocas principatum, sic mores, fortunam, famamque futurorum Principum oneras, vt nemo fuerit, qui supremum post Te locum prudẽter saltẽ concupisceret. Ac meo quidem iudicio, si Pontificij culminis honos expositus, obuiusq; occupantibus staret, ea tamen conditione, vt non mollia, & amæna stationis illius, sed, tuo exemplo, dura, & acerba seligerent, tanta dignitas plures fortassis inueniret repulsas, quam candidatos. Sed perge

iam

iam Pontificum optime, & sic subditos, sic sequuturos Principes imbuas, vt nos non vltra possimus tibi dissimilem ferre, illi referre non audeant. Eas exemplum ad Posteros, ac mẽsura virtutis, quam exigat à Principe Populus, debeatque Populo Princeps. Cæterũ non negauerim occurrisse Te sæculo ad mala prorsus omnia prono, & periculis summis exercito. Sed sicut summis calamitatibus illud debemus, quod regnes, (cum non soleat magnos viros nisi ingentium calamitatum deprecatione concedere Deus,) sic in illis spem certã ponimus, Te diu regnaturum. Quid? nisi tua virtute, constantiaque digna pericula obijceret mundus, pæne dicerem, Te tanto conatu impetratum Pontificem, non tanti fuisse. Igitur scias hanc esse vitæ, satiq; tui propositã à Cælo

lo mensuram, Europæ infortunia. Donec profligetur Turca, succidatur Hæresis, bellum & discordia in Asiam ruant, donec mala, donec mõstra incubent Terris, Te Terræ tenebunt. Quamobrem haud-quaquam mortalium confidentiã terres, quod præpostera cura Tibi iam loculum, feretrumq; paraueris. Quantus tibi superest labor, quantus artifici, vt debitam sepulcro tuo materiem Tu præbeas, ille sculpat! Necesse enim est, vt Orientis Canem, Septẽtrionis Hydram, cæteraq; orbis Terrarum portenta Tu domes, ille fingat: Rursus, Pacem, Iustitiã, aliasq; fugatas à mundo virtutes Tu opere, ille scalpro restituat. Quod si tantus Te cæli amor, patriæque verè tuæ sollicitat, exere fatales manus, & publicas pestes hinc disijce, doma, succide. Id enim adamantina

cælo,

cęlorum lege ſcias eſſe ſtatutū, nō deſerturum Te Terras, niſi beatas. Sed ſi à te cætera hominum genera fęlicitatem expectant, litteratorum natio, & litteræ habent. Scilicet in Te ſummū præmiū adeptæ, per Te maxima conſequenter, cū habeāt in Te Regnum, ſub Te venerationem, amentur, colantur, fortunæque iam imperent. Et quæ modo id vnum optabant, vt quandoquidē algerent, ſaltem laudarentur; nunc curru gloriæ tuæ ſubductæ, tecumq; in ſolium aſportatæ, ita è ſummo illo rerum culmine ſpectantur, & eminēt omnes, vt in te pæne adorentur. Ecquodnam litterarum genus vel nomine notū, quod non ita calleas, vt illius tantū amator, ac cultor, neglexiſſe cętera videaris? Amænas ita poſſides, quaſi nunquā os illud ſacrū ex Heliconio, Caballinoq; fonte

fonte dimoueris, ita feueras, quafi pedem extra lycæum, Peripatumque extuleris nūquā; Mufas omnes habes in ore, fimulq; vniuerfam Palladem fecretiori mentis adyto capis. Vt planè nefcierim, cui Te è claris veterum, recentiumque ingenijs cōferam? Certè illud aptiffimum Tuæ doctrinæ, fimulq; modeftiæ elogiū fuerit.

*Tam bene fi quifquam potuit, tam multa quis vnquam?*
*Si tam multa alius, tam bene quis potuit?*

Id litteræ, fed non minus à Te fælicitatis, ac commodi fibi fpondet Germania. Gloriatur illa oftēdiffe Te fæculo, inculcaffe Te famæ, Nationūq; omnium primā Tuæ fortunæ defignaffe decretum, cui vniuerfæ deinde Gentes, & Cælum, & Deus ipfe fubfcriberet. Nec id ab amica tantum, finceraq; Germaniæ parte virtus tua pro-

promeruit,ſed extorſit etiã ab Hæretico, & ab hoſte ſuffragiũ. Quoties ex Hæreticorum excidit ore: Adoraturos ſe Vaticanum,ſi Te vidiſſent regnantem in Vaticano? Stent igitur pactis vltro propoſitis, conditionemque,cum ipſis præſtiterit Cælum,ipſi præſtent,& Cęlos videant,& adorent. Quamuis nec videre te poterunt,niſi adorent. Tanta eſt oris tui ſanctiſſimi dignitas, tanta maieſtas,is animi decor in vultu,ea forma virtutum in oculis,ſic in fronte plurimus ſedet, & emicat Deus, vt Vaticani diuinitatem Imperij aſpectu probes, & ipſo. Sed quo tam multa pertineant de Scientijs, de Germania, de Te? Vt pro virili portione amatæ a te Germaniæ, Patriæque meæ ſaluti, Religioniſque defenſioni, & ipſe conſulerem, hos, quos vides,clypeos ne dicam, an codices?

dices?

dices? non inoperosa cura pa-
raui. Arma planè Diuina, non
tamen Vulcanica. Non enim
ea Ætneis ab antris, fornaci-
busque, sed ex Dædalea planè
officina excelsissimæ mētis, præ
ceptoris videlicet mei Marti-
ni de Esparza, deprompsi; Ar-
ma, quæ tam bene illic subtili-
tas, claritas, argumentorumq;
efficacia temperauit, vt verè
sapientia ministrauerit, *Tres
torti solis radios, & tres nubis
aquosæ* pietas addiderit,; *tres
ignis & alitis Austri, fulgores
quoque terrificos, sonitumque
metumque* cura] Religionis ar-
dentior immiscuerit. Hæc igi-
tur Arma, vtinā tuis sub auspi-
cijs aliquando victricia! ad tui
nominis aram non tàm suspē-
do, quàm sacro.

# INDEX
# QVÆSTIOMVM
## DE GRATIA.

# QVAESTIONES DISPVTANDÆ DE GRATIA.

## QVÆSTIO PRIMA Procœmialis.

Vtrum Gratia ſit donum ſuperadditum Creationi, idque multipliciter neceſſarium Libero Arbitrio pro multiplici ſtatu humanæ Naturæ?

VIDETVR neutrum eſſe poſſe. 1. Quia eſſe ſuperadditum & non eſſe ſuperadditum Creationi, materialiter ſe habet ad rationem Gratiæ ex parte Dei. Deus enim non minus gratiosè, & liberaliter confert, quæ ad Creationem naturaliter conſequuntur, quàm ipſam creationem, & quæcumque alia. Nempè creatio, cùm ſit liberalis donatio, non potuit Deum facere debitorem cuiuſquam rei præterea conferendæ; & relinquere liberum ac ſolutum ad quædam alia tantùm non conferenda. Ergo Gratia non eſt donum ſuperadditum creationi.

Secundò, Neceſſitas Gratiæ fundatur in ſubordinatione Creaturæ ad Creatorem, &in-

dices? non inoperosa cura pa-
raui. Arma planè Diuina, non
tamen Vulcanica. Non enim
ea Ætneis ab antris, fornaci-
busque, sed ex Dædalea planè
officina excelsissimæ mẽtis, pre
ceptoris videlicet mei Marti-
ni de Esparza, deprompsi; Ar-
ma, quæ tam bene illic subtili-
tas, claritas, argumentorumq;
efficacia temperauit, vt verè
sapientia ministrauerit, *Tres
torti solis radios, & tres nubis
aquosæ* pietas addiderit,; *tres
ignis & alitis Austri, fulgores
quoque terrificos, sonitumque
metumque* cura] Religionis ar-
dentior immiscuerit. Hæc igi-
tur Arma, vtinã tuis sub auspi-
cijs aliquando victricia! ad tuĩ
nominis aram non tàm suspẽ-
do, quàm sacro.

# INDEX
# QVÆSTIOMVM
## DE GRATIA.

# QVAESTIONES DISPVTANDÆ DE GRATIA.

## QVÆSTIO PRIMA Procemialis.

### Vtrum Gratia sit donum superadditum Creationi, idque multipliciter necessarium Libero Arbitrio pro multiplici statu *humanæ Naturæ?*

VIDETVR neutrum esse posse. 1. Quia esse superadditum & non esse superadditum Creationi, materialiter se habet ad rationem Gratiæ ex parte Dei. Deus enim non minus gratiosè, & liberaliter confert, quæ ad Creationem naturaliter consequuntur, quàm ipsam creationem, & quæcumque alia. Nempè creatio, cùm sit liberalis donatio, non potuit Deum facere debitorem cuiusquam rei præterea conferendæ; & relinquere liberum ac solutum ad quædam alia tantùm non conferenda. Ergo Gratia non est donum superadditum creationi.

Secundò, Necessitas Gratiæ fundatur in subordinatione Creaturæ ad Creatorem, &in-

& independentia causæ secundæ à prima. Hęc autẽ subordinatio, ac dependentia semper inuariabiliter inest, quia est essentialis creaturæ & penes essentiã non datur variatio. Ergò gratia non potest esse multipliciter necessaria pro multiplici statu humanæ naturæ.

Tertiò. De gratia, eiusque necessitate non potest haberi notitia nisi ex doctrina reuelata, quia gratia est quid supernaturale, & transcendens ordinem naturæ; Et nihil huiusmodi assequitur ratio naturalis. Doctrina autem reuelata de ijs tantùm nos docet, quæ pertinent ad præsentem statum, in quo de facto sumus. Perperam enim doceremur de ijs, quæ ad nos non pertinent de facto. Ergò licet gratia esset multipliciter necessaria reipsa pro multiplici statu humanæ naturæ, ea tamen considerari à nobis nec deberet, nec posset, nisi relatè ad præsentem statum, in quo de facto sumus.

Respondetur ad quæstionem *Gratia vocatur, quod gratis datur*, vt dicit Aug. in ps. 49. sub finem; id est quod nec meritis rependitur iuxtà illud Pauli ad Rom. 4 *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*, nec necessariò consequitur ratione exigentiæ innatæ, & intrinsecæ connexionis aliarum cùm alijs rebus, vt mox dicetur ex Augustino, & vberiùs exponetur quæstione sexta. Liberum arbitrium est potentia simultanea id ipsum volendi, vel non volendi; seu est potentia electiua inter opposita. Vndè liberum ex parte termini est, *quod est in nostra potestate, quodque cum volumus facimus*, vt dicit Augustinus l. 3. c. 3. de lib. arb. & pluribus declarabitur quæstione 14.

Necessitas gratiæ ad aliquod opus est impossi-

possibilitas, vt hoc exequatur liberum arbitrium illâ non praexistente, ac iuuante. Necessitas ista alia est physica, ratione cuius repugnat aliquid fieri, absque alio quodam, nisi interueniat miraculum; alia est moralis, ratione cuius licet possit absolutè fieri aliquid absque aliquo alio citra miraculum, est tamen vsque adeò difficile, vt numquam, aut vix vnquam contingat ità fieri; & numquam, aut vix vnquam euadat falsum iud ci m de non futuritione effectus funda um in tali necessitate, & defectu rei necessariæ; alia denique necessitas est tantùm ad melius esse, vtque facilius fiat opus.

Status humanæ naturæ est eadem natura, vt substans accidenti quantùm est ex se diutius permanere valenti, eamque disponenti modo aliquo speciali in ordine ad æternitatem, & vltimum finem. Vnde pro diuersitate eiusmodi accidentium quãplures status inuicem distinguibiles sunt; sed quatuor potissimùm, pro quæstionibus de necessitate gratiæ, præ cæteris oportunos obseruare Theologis placuit, ratione quorum natura humana communiter diuiditur in puram, integram, lapsam & reparatam. Status naturæ puræ includit omnes & solas perfectiones, & imperfectiones homini secundum se connaturales; ac proindè excludit peccatũ saltem læthale, omneque donum supernaturale. Natura integra superaddit puræ subiectionem appetitus sensitiui respectu rationis superioris, & huius respectu Dei, legisque diuinę. Istiusmodi subiectio dicitur pertinere ad integritatem naturæ, non quòd spectet ad complementum hominis connaturale, vt dicetur quæstione 14., sed quia iuuat ad inte-

gram obseruantiam legis naturalis, viresque actiuas connaturales absoluit ab omnibus impedimentis, cum nullas vlterius superaddat. Natura lapsa est quæ subiacet peccato læthali personali, vel originali, & malis inde suborts auferentibus inter alia ex natura pura innocentiam, ex integra subiectionem appetitus, & rationis. Natura reparata est, quæ per Christi merita obtinet gratiam sanantem & liberantem à peccato, & effectibus peccati, licet dum sumus in via nunquam omnino liberet ab omnibus malis, quæ contraximus per peccatum. Vnde gratia per Christum communiter, & meritò nuncupatur quidquid positiuè iuuat ad obtinendam remissionem peccatorum, & vitam æternam.

Certum est aliquam Dei gratiam esse necessariam ad quodlibet opus bonum pro quolibet statu; quia ipsa hominis existentia, qui sine seipso operari nil potest, est gratis à Deo collata: nec enim erat, cui illa deberetur, antequam esset homo. Vndè cætera etiam, quæ naturali necessitate consequuntur ad existentiam hominis, & sine quibus nil ipse operari potest, gratiosa absolute dicuntur, quatenus originem ducunt a gratia. Cæterùm licet hæc omnia, quæ sub dono creationis, iuxtà communem loquendi modum, comprehenduntur, quadam non improbanda ratione, ea scilicet, quæ modò indicata est, dicantur gratia Dei, vt testatur Augustinus cum alijs Patribus Africanis; non tamen est ea gratia, cuius necessitatem docemur in Sacris litteris vt notat ibidem Augustinus, & seueriùs ep. 105. nec eius necessitatem vlli vnquam hæretici negauerunt, qui faterentur existentiam Dei, & eius libertatem: quin-

in fensissimi gratiæ hostes Pelagius, & eius asseclæ eam vbique fatentur & magnificè commendant.

Gratia igitur theologicæ considerationis propria est ea sola, quæ distinguitur a dono creationis eidemque superadditur; id est quæ neque immediatè, neque mediatè debetur homini ratione suæ creationis. Sed neque omnis eiusmodi gratia est præsentis instituti. Excluduntur nimirùm ab eo tùm gratiæ gratis datæ non ad propriam cuiusque, sed ad aliorum vtilitatem primò, ac principaliter ordinatæ; tùm auxilium externæ instructionis, & protectionis; tùm auxilia habitualia. Nempè præcipuum, si non & vnicum certamen, & Conciliorum scopus fuit, eam stabilire Gratiam, quæ intrinsecè vnicuique inhæret, & singulis operandi oportunitatibus ita deuincta est, vt, illis transeuntibus, ipsa protinus intereat; quæque est indiscriminatim necessaria, ante, & post conuersionem ad Deum; ante, & post iustificationem & infusionem Habituum. Quarè Gratia, quatenùs est subiectum quæstionū præsentium, definiri potest: Bonum vnicuiq. indebitū, etiam suppositâ eius existentiâ, conferens immediatè, ac positiuè ad eliciendos actus bonos; atque singulis eorū oportunitatibus deuinctum.

Quia verò vires Naturæ Humanæ, pro vnoquoq. ex memoratis Statibus eius, sunt inæquales, atque opera pro singulis, & pro omnibus præstanda sunt itidem inæqualia, ac multipliciter inter se diuersa, patet multiplicem esse necessitatem Gratiæ, tùm pro diuersis Statibus ad eadem opera; tùm pro eodem Statu ad opera diuersa, atque inter se disparia. Dicetur itaque priùs quadruplici quæstione de ijs, quæ sunt com-

munia omnibus statibus pro quolibet opere; deindè quæ sunt communia Naturæ Integræ, & Reparatę relatè ad finem supernaturalem, per sex alias quæstiones: Ac demum, quæ conueniunt Naturæ lapsæ tùm secundùm se, tùm vt comparatæ cum Natura pura. Post quæ solę supererunt exponendæ diuisiones & munera Gratiæ.

Ex his respondetur ad primum. Deus licet nihil debeat propriè post creationem, sicut antea nihil debebat propriè; tamen positis quibusdam effectibus, habet aliquam necessitatem quosdam alios adiungendi, quorum additio est necessaria ad perfectionem operis prioris: atque hęc necessitas dicitur, & est latà quadam ratione debitum fundatum in ratione Diuinę Sapientiæ. Quędam autem alia superadduntur prioribus effectibus, quæ non sunt ita debita; & quæ talia sunt, dicuntur superaddi a dono creationis.

Ad secundum. Est quidem communis omni Statui, & pro omni opere necessitas auxilij diuini. Verum quia debilitas Naturæ non semper est eadem, nec opera, quæ præstare debet, sunt omnia eiusdem generis; superest locus multiplicitati necessitatis Gratiæ coniunctæ cum vniformitate dependentiæ a Deo, & subordinatione ad ipsum, essentialiter inclusa in conceptu creaturæ vt sic, & in genere.

Ad tertium. Doctrina reuelata in primis non est restricta ad præsentem statum Naturę lapsæ, quin etiam integram comprehendat. Deindè ex ijs, quæ docemur circa præsentem statum, deducuntur multa pertinentia ad alios status, atque eorum comparatio, & notitia valet plurimùm ad intelligentiam eorum; quæ dicuntur de

statu

statu præsenti, vt apparebit ex dicendis. Quare possibilis, vtilis, & honesta est omnium eorum Statuum intima, quoad fieri poterit, consideratio.

# QVÆSTIO II.

## Vtrum sufficientia ad opera bona sit debita ex suppositione Præcepti & Consilij.

VIDETVR non esse debita. Primò. Quia Concilium Tridentinum loco mox indicando, monet vnumquemque petere, quæ non possit: Ea autem sunt, vel Præcepta à Deo, vel Consilia; ergo sunt aliqua sub Præcepto, aut Consilio Dei, quæ præstare non possumus. Ergo sufficientia neganda est ex suppositione Consilij, & Præcepti.

Secundò. Præcepta & Consilia Dei nos obligant, non ipsum Deum. Ergo Deus ex vi horum non tenetur ad dandam sufficientiam; licet nos teneamur ad præstanda opera.

Tertiò. Peccatori potest negari in pœnam peccati sufficientia ad opera tùm Præcepti, tùm Consilij, & tamen ratione peccati, non debet liberari Peccator ab onere Legis, & Consiliorum: Ergo Lex, & Consilia non sunt inseparabilia à sufficientia ad opera Legis & Consilij.

Quartò Augustinus & alij Sancti Patres docent frequenter, peccatoribus obduratis, esse impossibilem conuersionem ad Deum, & pœ-

& pœnitentiam finalem, ad quas tamen obligantur Lege Dei. Manifestum autem est eam impossibilitatem esse indistinctam à defectu sufficientiæ.

Resp. Deus impossibilia non iubet, vt definit Concil. Trid. sess. 6. c. 11. Reddit rationem Aug. c. 68. de Grat. & lib. Arbitr. *Eo quippè ipso, quo firmissimè creditur Deum iustum & bonum impossibilia non potuisse præcipere hinc admonemur &c. Nec impossibile potuit imperare, qui iustus est; nec damnaturus est hominem: pro eo quod non potuit vitare, qui pius est.* Itaque damnari non potest, qui secus facere non potuit. Damnari autem potest, & debet, qui facit contra Legem Dei; nec tamen vitare id potest, qui non habet sufficientiam, vt conformetur. Ergo obligatio Legis est inseparabilis à sufficientia conformitatis cum ipsa. Hinc est illud eiusdem Augustini c. 66. de Natura & Gratia. *Quæcumque ista causa est Voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur.* Motiuo autem impellenti contra Legem Dei, nec ceditur sine peccato, vt liquet ex Augustiniana peccati definitione; Dictum factum &c. Nec resisti potest, non habita sufficientia ad resistendum, & præstandum opus præceptum. Ergo fieri posset, quod est factu impossibile, si adsit Lex sine sufficiẽtia.

Haud est minus efficax, aut minùs clara ratio Chrysostomi Hom. 16. in Epist. ad Hebr. *Si enim impotentes nos fecit, & deinde imperat; culpa eius est.* Nempe operationes, & omissiones prouenientes ex antecedenti simpliciter, seu necessitate, seu impossibilitate non attribuuntur, quoad laudem, & vituperium Operanti, ac Omittenti; sed Inducenti talem, seu necessitatem, seu impossibilitatem. Defectus autem sufficientiæ

ad

ad opus per seipsum est impotentia operãdi; & impossibilitas operis hic, & nunc. Ergo Deo negante sufficientiam ad opus præceptum, culpa Omissionis attribueretur ipsi, esletq. propria ipsius, quod repugnat.

Eodem recidit, Deo volente aliquid voluntate simpliciter antecedenti, necessariò velle, quidquid inde sequitur necessaria & ineuitabili consequentia. Quia quod simpliciter antecedit, continet in se virtualiter, quidquid inde essentialiter consequitur. Præterea, non dato consequente repugnat dari antecedens essentialiter illatiuũ illius; ac proinde necesse est frustrari voluntatem efficacem talis antecedentis, non dato tali consequenti: Repugnat verò voluntatem efficacem Dei simpliciter antecedentem, non velle ne ipsa frustretur. & consequenter, non velle quidquid est necessarium, ne ipsa frustretur. Voluntas autem Dei, tùm quà præcipit aliquid, tùm qua negat sufficientiã ad aliquid, sunt simpliciter antecedentes, respectu actus, qui præcipitur, & ad quem sufficientia negatur. Deinde Voluntas, quæ negat sufficientiam ad actum, essentialiter infert omissionem illius; & quæ præcipit actum, æquè essentialiter reddit peccaminosam omissionem eius. Ergo si Deus vtramque eam voluntatem simul haberet respectu eiusdẽ actus, volitum consequenter à Deo esset peccatum consistens in eius omissione. Tàm igitur repugnat, negari à Deo sufficientiam ad opus ab ipso præceptum, quàm repugnat ipsum esse Auctorem, & intentorẽ peccati.

Eadem ferè ratio est de connexione Cõsilij cum sufficientia ad opus consultum. Nec enim minus irrationabile est, cõsulere, quàm præcipere impossibilia: Nec minus repugnat

Deo attribui imperfectionem, quæ ineſt omiſſioni actus conſult, ipſumque eſſe eius Auctorem, ac intentorem, quàm eadem eidem repugnant reſpectu peccati. Deinde commune eſt Conſilio cum Præcepto, vt moueat, ac impellat ad opus conſultum, & præceptum: Negationi verò ſufficientiæ eſſentiale eſt vt retrahat ab opere, ad quod ea negatur. Implicat autem Deum ſimul impellere ad aliquid, & ab eodem retrahere, atque penitus abſtrahere. Repugnat igitur negari ſufficientiam ad opus aliquod, ſeu præceptum, ſeu conſultum; ac proinde ſufficientia ad illud, non habet rationem Gratiæ ex ſuppoſitione Præcepti, & Conſilij, nec eſt donum moraliter diſtinctum, licet ſit phyſicè realiter diſtinctum, & naturæ ſecúdum ſe ſuperadditum præcisè quatenus ſufficientia eſt, ab eodem Conſilio & Præcepto.

Ad primum. Dum Concilium dicit petẽdum quod non poſſumus, ſatis apertè indicat, illud non poſſe non reſtringi ad impotentiam ex ſuppoſitione, & ſecundum quid. Nec enim abſolutè deeſt ſufficientia, ad aliquod opus, quando adeſt ſufficientia ad illam petendam, vti Concilium ſupponit adeſſe, & petitione poteſt haberi, quod petitur.

Ad ſecundum. Obligat quidem nos ſolùm Lex Dei, Deum verò licet non obliget, neceſſitat tamen neceſſitate indiſtincta ab ipſa ſua voluntate, vt nobis faciat proximè poſſibile, quod vult efficaciter, vt exequamur: Atq. hæc inſeparabilitas volũtatis nos obligantis à volũtate reddendi proximè poſſibilẽ terminum obligationis, dicitur quodammodo debitum dandi ſufficientiam.

Ad tertium. Ea Lex, cuius adimplendæ

ſuffi-

sufficientia omnis potest negari in pœnam peccati, habet rationem gratiæ. Vnde, damnati in pœnam peccati non habent amplius Legem obligantem ad spem beatitudinis obtinendæ. Quare Lex, cuius obligatio non aufertur ratione peccati, habet sibi necessariò adiunctam sufficiētiam ad opus, ad quod obligat, non obstante peccato.

Ad quartum. Impossibile apud Augustinum, & alios Patres, sicut & ex vsu vulgari sæpe vsurpatur pro eo, quod est difficillimum, nec prudenter sperabile, seu moraliter impossibile, licet physicè, & citra miraculum possibile sit absolutè. Atque hoc pacto, & non aliter dicuntur impossibilia respectu obduratorum, ea opera, quorum omissione peccant. *Nullus enim peccat in eo, quod vitare non potest*, vt docet idem Augustinus lib. de duab. anim. c. 10. & 11. Quod si nullus, nec vtique obduratus, peccat in eo, quod vitare omninò non potest. Qua de re dicentur plura in progressu.

# QVÆSTIO III.

## Vtrum debeatur per se sufficientia, non tantùm Physica: sed etiam Moralis, ad vitandum peccatum?

VIDETVR solàm Physicā deberi. Primò. Quia aliquibus aliquando negatur sufficientia moralis ad vitandum peccatum; idque, vt ita eueniat, est necessarium ex natura rei. Occurrūt enim aliquā-

do ex cursu naturali causarum secundarum circumstantiæ tales, quibus positis prudenter aut sperari, aut iudicari non potest vitandum esse peccatum: Ideòque quibus positis eo ipso non adsit sufficientia moralis vitandi. Quod autem alicui aliquando negatur, non est debitum per se, & ex natura rei, quia Deus nunquam cuiquam negat de facto, quod est ita debitum.

Secundò. Sufficientia maior minima naturaliter possibili, est negabilis naturaliter; ac proinde habet rationem Gratiæ superadditæ Creationi. Negabilitas talis sufficientiæ maioris minimà ex eo patet, quia negationem eius in se formaliter continet collatio sufficientiæ, quæ est minima inter omnes naturaliter possibiles. Sufficientia autem ista minima existere in primis potest ex natura rei, aliàs non computaretur inter naturaliter possibilia; Deinde non reddit opus moraliter possibile, quia sufficientia purè physica non reddit opus ita possibile; & tamen est contenta intra ordinem Naturæ; atque adeò est naturaliter possibilis. Ergo sufficientia moralis ad vitandum peccatum, non est debita per se.

Resp. Deus diligit omnia quæ sunt, & nihil odit eorũ quæ fecit: Nec enim odiẽs aliquid constituit, aut fecit, vt constat ex Sap. 11. Atque hoc vel maximè locum habet in creatione substantiarum rationalium, vt pote quæ habent rationem finis respectu cœterorum omnium operum Dei. Atque est de ratione Finis, vt ametur magis quàm Media, per amorem bene ordinatum. Non autem dilexisset Deus substantias rationales; sed potius odio eas habuisset, atque odiendo constituisset, & fecisset, si non contulisset sufficientiam moralem ad vi-

tanda

tanda peccata, saltem lethalia. Constituisset enim illas, ea negata, in necessitate morali amittendi suam æternam felicitatẽ, & incidendi in æternam miseriam, & apponendi causam eius effectus deteriorem eodem. Hoc autem patet esse obiectum, effectum odij, magis quàm amoris, & dilectionis. Est enim status infelicissimus à nemine prudenter eligibilis, & quo nihil deterius summum odium parere possit. Accedit vnum ex præceptis diuinis, per se obligantibus substantiam quamlibet rationalem, esse Præceptum sperandi consecutionem Beatitudinis. Quod autem à Deo præcipitur, à quocumque fit, prudenter fit. At non prudenter speratur, quod est moraliter impossibile: Stultus siquidem est, qui id sperat, cui ex sua natura conuenit, vt nunquam contingat; quodque propterea nunquam de facto continget. Ergo impossibile est ea natura rei, nullaque facta suppositione ex parte Creaturæ, vt Deus non conferat substantiæ rationali sufficientiam moralem ad vitanda peccata lethalia, qua videlicet negata, redditur moraliter impossibilis consecutio Beatitudinis. Debetur ergo per se sufficientia nõ tantùm physica; sed etiam moralis ad vitanda peccata, saltẽ lethalia, quæ sola simpliciter dicũtur peccata.

Ad primum, Aliquando per accidens contingit, vt desit sufficientia moralis ad vitandum peccatum propter multiplicem combinationem causarum secundarum, quæ aliquando necessitat moraliter ad bonum, aliquando ad malum. Cœterum motiua honesta impellentia ad actus bonos, habẽt vim pertrahendi voluntatem, nequaquam minorem ex sua natura, quàm quæ inest motiuis permouentibus ad peccandum. Vnde per se

volun-

voluntas reperitur inter vtrumque extremum æquilibrata, dum est in via. Neque verò omne id, quod aliquando contingit aliquo determinato modo, eo ipso fieri potest, vt contingat semper eodem modo naturaliter: Quia causarum secundarum occursus naturali necessitate sunt varij, propter motum, & multiplicem aspectum corporum cælestium, & vertibilitatem Arbitrij creati, ex quibus cætera dependent.

Ad secundum. Patet responsio ex proximè dictis: quia sufficientia minima inter omnes naturaliter possibiles, nō potest vniformiter omnibus, & semper contingere, iuxta exigentiam causarum naturalium, Legesque naturæ.

# QVÆSTIO IV.

## Vtrum Cogitatio congrua sit Gratia superaddita Creationi, & Eleuationi respectu singulorum pro quouis Statu?

VIDETVR non esse. Primò. Quia Sufficientia ad opus bonum pro nullo Statu est Gratia superaddita Creationi, aut Eleuationi, vt dictum est, q. 2. Habità autem sufficientià ad aliquod opus, in propria cuiusque potestate situm est, illud facere, vel omittere: Nec ad Gratiam alterius ampliùs spectat, id actu habere, quod quis iam habet in propria potestate. Quæ res videtur clarè contineri in duobus notissimis D. Augusti-

gustini Principijs, *Gratiam esse materiam Orationis; & Perperã orando peti ab alio, quod habeas in potestate.* At facere bonũ opus, & vti sufficientiã iam habitã, est reipsa habere cogitationem congruam. Ergo cogitatio congrua, respectu nullius potest esse gratia specialis moraliter superaddita Creationi, aut Eleuationi.

Secundò. Qui habuit sufficientiam ad opus bonum, si illud non exequatur meritò reprehenditur; non autem potest meritò reprehendi, quia Deus non contulit ei nouam gratiam. Nemo enim iure reprehenditur de opere alieno præstito, vel non præstito. Ergo quod post habitam sufficientiam addatur opus bonum, & proinde habeatur Cogitatio congrua, non est noua Dei Gratia distincta à sufficientia ad benè operandum; quæ, vt iterum dictum est, non est Gratia superaddita Creationi, aut Eleuationi.

Tertiò, D. Paulus hortatur, ne in vacuũ Gratiam Dei recipiamus 2. ad Corinth. 6. Ergo ad nos spectat, & non ad nouam Deĩ Gratiam, ne ipsam in vacuum recipiamus. At non in vacuum recipi, est sanctam cogitationem à Deo datam esse congruam. Ergo quod cogitatio à Deo da a sit congrua, nunquam est noua Gratia; sed est opus ipsius iam habentis sufficientiam à Deo.

Resp. Excessus quilibet vnius Indiuidui comparatione alterius est Gratia Dei aliquo modo distincta à Dono Creationis, & in statu Eleuationis ab Eleuatione secũdum se. Quod liquet, ex illo primæ ad Cor. 4. *Quis te discernit?* Quilibet enim excessus discernit habentem illum à non habente. Contingit autem aliquos habere sufficientiam ad opus, & nõ operari; ac proinde nõ

sortiri cogitationem congruam, habitâ sufficientiâ. Fieri quin etiam potest, vt quis decedat post primũ peccatum, & ante omne opus bonum; ideoque habitâ sufficientiâ ad opus bonum, & nullâ nihilominus habitâ Congruâ cogitatione. Ergo quælibet congrua cogitatio est aliquis excessus habentis illam respectu non habentis eandem. Ergo eadem congrua Cogitatio, est Gratia moraliter distincta à dono Creationis, & pro Statu Eleuationis, ab ipsa Eleuatione, secundum se præcisè consideratâ, respectu cuiusuis Indiuidui determinatè sumpti.

Ad Primum. Post habitam sufficientiam, ita est liberæ ac indifferentis electionis nostræ, ac potestatis, vt id ipsum subiaceat etiam, & multò magis potestati, ac liberæ Electioni diuinæ. Quod enim conferatur nobis sufficientia, quæ reipsa coniungetur cum opere bono, & cum congruitate, vel ea potius, cui neutrum eorum reipsa coniungetur, ad solam pertinet liberam præelectionẽ potestatemque diuinam: Deinde verò habito auxilio, quod & quale Deus præelegerit, nostræ cõsequenter potestatis, & liberæ Electionis est consentire, vel nõ consentire operari bene, vel nõ operari. Ratione prioris Electionis dicitur Deo ad hominibus, *Cõuerte nos Domine ad te*: ratione posterioris dicitur hominibus à Deo *Conuertimini ad me*. Quorũ alterum attestatur Gratiæ diuinæ, Alterum nostræ Libertati, in eodẽ opere bono. Quod autem hoc modo simultaneè subiacet potestati ac liberæ Electioni duorum, potest esse Gratia alterius erga alterum non obstante libera huius potestate circa idem, siue mediatè, siue immediatè. Quare Augustinus, dum dicit, Perperam peti ab alio, quod habeas in potestate, loquitur

quitur de eo quod quis habet in sua sola potestate. Id nimirum dicit agens contra Pelagium, qui asserebat nostræ solummodo potestatis, & liberæ Electionis esse agere, vel non agere, posito dono Creationis, & retento ordine naturali, & necessario causarum secundarum, quod est hæreticum.

Ad secundum, Ideò meritò reprehenditur, qui non exequitur opus bonũ, ad quod habet sufficientiam, quia sua voluntate apponit impedimentum speciali Gratiæ Dei, quæ in Congruitate consistit, iuxta doctrinam, quæ modò exposita est. Indidem patet responsio ad tertium. Quando enim petitur, ne in vacuum Gratiam Dei recipiamus, hoc à nobis petitur, ne impedimẽtum apponamus speciali Gratiæ Dei, & Congruitati Gratiæ iam habitæ. Quod est commune omnibus Theologis Catholicis; vtcumque differant in modo explicandi, ac defendendi.

# QVÆSTIO V.

## Vtrum Cogitatio congrua sit debita ex natura rei, saltem vagè, alicui, vel aliquibus ex tota Hominum multitudine, pro quouis statu?

VIDETVR non esse debita. Primò. Quia nulli determinatè sumpto est debita vlla congrua Cogitatio, vt nuper dictum est. Ergò nec vagè, & indeterminatè debetur. Patet consequentia. Quia quod

nulli est debitum, est omnibus indebitum. Nam *nullus non*; valet *Omnis*. Probatur rursus consequentia; Quia Deo ex multiplicitate eligibilium, & instantium, pro quibus eligere potest, nulla prorsus accrescit necessitas eligendi aliquod ex illis, vt liquet ex electione creandi mundum, quæ fuit expers omnis necessitatis tùm physicæ, tùm moralis: tametsi essent infiniti Mundi eligibiles, & infinita in vnoquoque indiuidua, & pro infinitis temporum differentijs; atque in oppositum non suppeteret, nisi vnica electio, & vnicus eligendi modus, nihil vnquam producendi. Ergo si quidem Congruam cogitationem non debet Deus ex natura rei, ideòque potest negare cuilibet Indiuiduo determinatè congruam cogitationem; potest eandem eodem modo negare toti hominum collectioni sumptæ collectiuè.

Secũdò. Si necesse essèt Deum conferre aliquam Cogitationem congruã toti hominum collectioni vnoquoq. homine vagè ac indeterminatè sumpto, posset ipsa Collectio gloriari de aliquo bono opere, quasi non accepisset illud à Deo; quod non minus absurdum est, quàm si aliquis homo in particulari posset gloriari de suo opere bono, quasi non accepto. Nec enim minùs dependet à Deo, & eius misericordià gratuità, tota Collectio hominum, quam quilibet homo seorsim, ac determinatè.

Tertiò. Qui dixit, *Necesse est vt veniant scandala*; non dixit similiter *necesse est vt veniant bona exempla*. Ergo non ita necesse est respectu diuinæ potentiæ, vt largiatur vagè alicui Indiuiduo cogitationem congruam, sicut necesse est ratione fragilitatis humanæ, vt aliquis homo peccet,

sua-

suaque culpâ impediat Cogitationem congruam, atque cum sola incongrua relinquatur.

Quartò. Si congrua cogitatio esset debita indeterminatè alicui ex tota Hominũ collectione, cuilibet homini esset optabile, vt cæteris omnibus daretur Cogitatio incongrua, & consequenter, vt cæteri omnes peccarent semper. Quia quod debetur indeterminatè alicui ex multitudine, redditur determinatè debitum vni cuilibet, si cæteris omnibus negetur. Est autem optabile vnicuilibet, vt sibi sit debita determinatè Cogitatio congrua. Ergo si ea est indeterminatè debita alicui, ex tota hominum collectione, vni cuilibet est optabile, vt cæteris omnibus eadem negetur, hoc est, vt cæteris omnibus detur cogitatio incongrua, & consequenter vt cæteri omnes peccent, quod est absurdum.

Quintò. Liberum Deo fuit eligere existẽtiam; vel eorũ tantùm, qui peccaturi erant: vel eorum tantùm, qui erant benè operaturi, eademq. est ratio de oportunitatibus & circumstantijs tùm benè, tùm malè operandi. Ergo necesse non est ex natura rei, nec etiam vagè, vt detur alicui aliqua congrua cogitatio, vel vt detur alicui aliqua cogitatio incongrua; sed potuit facere Deus, vt omnes, & semper haberent cogitationem congruam: vel vt omnes & semper haberent cogitationem incongruam.

Resp. In qualibet multitudine causarum æquè, aut ferè indifferentium ad vtramque partem contradictionis, aut contrarietatis, est magis probabile, futuram esse quamlibet difformitatem determinatè sumptam, quàm totalem omnium vniformitatem, & futuram esse maiorẽ quamlibet difformita-

tem,

tem, quàm minorem. V. G. difformitatem immediatam minimæ omnium difformitati, quàm ipsam omnium minimam difformitatem, & sic de cœteris similiter. Quia vniformitas totalis habet plures causas adæquatas, quarum qualibet se sola possit illam impedire, quam difformitas omnium minima. Totalem etenim vniformitatem potest impedire se solo quilibet binarius contentus in collectione. Quilibet namque duo ex collectione sufficiunt se solis, vt alter eorum velit, & alter nolit: & hoc posito quomodocumque se gerant cœteri, iam erit impedita totalis vniformitas, vt patet. Ergo vniformitas tot habet causas adæquatas impeditiuas sui, quot sunt binarij in collectione contenti. At difformitatem omnium minimam nulli duo possunt impedire se solis. Si enim alter ex duobus velit, & alter nolit, possunt cœteri omnes contenti in collectione, vtrilibet eorum accedere; atque ita constituere difformitatem omnium minimam. Si verò vterque velit, aut vterque nolit, poterunt illis accedere cœteri vel plures, vel pauciores, vel omnes præter vnum: atque ita constituere difformitatem omnium minimam, vel omnium maximã. Ergo difformitas omnium minima non habet tot causas adæquatas impeditiuas sui, quot sunt binarij in collectione contenti: Atque adeò non habet tot causas adæquatas impeditiuas sui, quot sunt causæ adæquatæ impeditiuæ vniformitatis.

Similiter quilibet quaternarius sufficit se solo ad impediendam difformitatem omniũ minimam. Quilibet enim quaternarius sufficit se solo, vt duo velint, & duo alij nolint, quo posito erit impedita difformitas

omniũ

omnium minima; de cuius videlicet ratione est, vt vnus tantùm sit disconformis, cæteris omnibus inter se conformibus. At difformitatem immediatam minimæ nullus quaternarius potest impedire se solo. Quia si omnes quatuor velint, vel si omnes quatuor nolint, possunt illis accedere cæteri, solis duobus non accedentibus, quo posita erit difformitas immediata omnium minime, vtpote quæ consistit in conformitate omnium præter duos. Si verò duo velint, & duo nolint, vtrilibet binario possunt alij omnes accedere, quo etiam posita erit difformitas immedita omnium minimæ. Si denique vnus velit, & tres nolint, aut vnus velit & tres nolint, quæ est postrema combinatio inter quatuor, poterunt illis tribus accedere cæteri præter vnum, quo non minùs posita erit eadem difformitas immediata minimæ: siquidem erunt duo disconformes, conformibus cæteris omnibus. Eadem est ratio de qualibet alia difformitate maiori comparata cum minori. Habet igitur plures causas adæquatas impeditiuas sui vniformitas totalis, quam qualibet difformitatis species determinate sumpta; & quælibet difformitas minor, quam maior: siquidem in qualibet collectione sunt plures binarij, quam quaternarij, & plures quaternarij, quam quælibet maior combinatio &c.

Manifestum autem est, probabilius esse id impediendu esse, quod habet plures causas adæquatas impeditiuas sui, quarum quælibet est æque indifferens ad impediendum, vel non impediendum, quam id impediendum esse, quod habet pauciores eiusmodi causas impeditiuas sui. Quia qualibet causa æquè indifferens ad impediendum, vel non impediendum aliquod V. G. submero-

nem

nem nauis, se sola reddit aliquatenus probabilem impeditionem submersionis, & fundat spem aliquam, quòd sequetur impeditio: Reddit enim verum hoc iudicium, *Fortasse impedietur*. Ergo si illi causæ addatur alia similis causa potens impedire, crescet probabilitas & spes impeditionis: siquidem quoduis finitum crescit, facta sibi additione. Ergo quò fuerint plures eiusmodi causæ impeditiuæ, eò erit magis probabilis futuritio impeditionis, magisque sperabilis impeditio. Magis igitur probabile est impediendum esse, quod habet plures causas adæquatas impeditiuas sui, quarum quælibet est æquè indifferens ad impediendum, & non impediendum, quàm quod habet pauciores eiusmodi causas impeditiuas sui.

Manifestum rursus est, minùs probabile esse, id esse futurum, quod est magis probabile impediendum esse. Quia maior probabilitas vnius partis contradictionis, est per seipsam minor probabilitas oppositę partis. Minùs igitur probabile est futuram esse vniformitatem, quam difformitatem quamlibet; & inter difformitates futuram esse maiorem, quam minorem difformitatem in qualibet collectione plurium, quorum quilibet sit æquè indifferens ad vtramque partem contradictionis.

Adde quò numerosior fuerit multitudo Indiuiduorum æquè indifferentium ad vtramque partem contradictionis, eò fore minùs probabilem vniformitatem inter illa: Quia eò sunt plures causæ, quarum quælibet sufficit se sola ad impediēdam vniformitatem, & consequenter eò est maior excessus numeri causarum adæquatarum valentium impedire vniformitatem, quæ formaliter sumpta semper consistit in indiuisibili, supra nu-

numerum causarum adæquatarum, valentium impedire vnam quamlibet difformitatis speciem. V. G. difformitatem omnium minimam. Si enim collectio sit centum hominum, causæ adæquatæ valentes impedire vniformitatem erunt quinquaginta, tot namque sunt binarij: Valentes verò impedire difformitatem omnium minimam, erunt solùm viginti quinque, iuxta dicta: Ideòq; excessus erit penes viginti quinque. Si rursus collectio fuerit ducentorum, idem excessus erit eadem ratione penes quinquaginta, & sic de simili qualibet additione. Excessus autē minoris probabilitatis est omninò proportionatus excessui penes numerum talium causarum, vt apparet ex superiori discursu. Quare augendo semper multitudinem talium causarum magis & magis, eò tandem aliquando deuenietur, vt vniformitas sit penitus improbabilis, ac moraliter impossibilis: Et difformitas omnium minima valde improbabilis, ac difficilis; & sic descendendo vsque ad difformitates maiores, probabiliter euenturas, & eò probabilius quò fuerint maiores.

Cum igitur multitudo Hominum à principio ad finem vsque Mundi, sit propemodum infinita; & aliunde singulis hominibus sit per se innegabilis ex natura rei, potestas moralis, idest æquè aut ferè indifferens ad benè & male operandum, vt dictum est in quæst. præc. sequitur fuisse moraliter impossibile per se, & ex natura rei, vt omnes homines, nullo prorsus excepto, conuenirent inter se, aut in operando bene, aut in operando malè, pro omni temporis differentia, & oportunitate operandi. Quod autem est moraliter impossibile, perfectà & supremi generis impossibilitate morali, qualis

pro-

procul dubio est ista, quæ modò illata est, nunquam contingit. Igitur Deus non præuidit vllam hominum collectionem æqualem multitudini hominum de facto existenti, & exponendam tot oportunitatibus operandi, quot existunt de facto, futurã esse totaliter conformẽ, aut in operando bene aut in operando malè, & consequenter nullam talẽ collectionem hominũ, & oportunitatũ præuidit vniformiter existentẽ, aut totam, & semper cum cogitatione congrua; aut totam & semper cum incongrua. Patet hæc vltima consequentia; quia aliquem vel aliquos benè operari est habere congruam cogitationem: certè est inseparabile à congruitate cogitationis, & eodem modo peccare, est quid inseparabile ab incongruitate cogitationis. Quare fieri nequaquam potuit, vt toti hominum collectioni sumptæ collectiuè, negaretur congrua cogitatio, aut vt eadem toti eidem collectiuè sumptæ daretur: Ergo congrua cogitatio est innegabilis vagè toti hominum collectioni, pro quouis statu loquendo per se; ac proindè non habet rationem Gratiæ superadditæ vel respectu Creationis, vel respectu Eleuationis, vt sic, & in communi, comparatione totius multitudinis hominum, sed vagè comparatione alicuius Indiuidui vagè sumpti.

Confirmatur ex aliquorum Patrum responsione ad antiquam, & celebrem quæstionem; Cur Deus, cum sit summè bonus, ac benignus, non impedierit omnia peccata Angelorum, & Hominum, eosque creauerit, præscius peccaturos fuisse si crearentur? Respondent enim, vt videre licet, inter alios apud Montoiam disp. 55. de Scient. Dei sect. 3. 4. & 5. Deũ facere minimè po-

potuisse, vt vitarentur omnia peccata Angelorum, & Hominum, salua eorum Libertate, qualis vtique ipsis est connaturaliter debita. Esto iuxtà alias prouidentię extraordinariæ leges aliter facere potuerit, qui est Dominus vniuersorum, & Omnipotens. Ergo nec fieri potuit vt salua eadem Libertatis indifferentia impediretur omne opus bonum: nullaque conferretur cogitatio congrua. Consequentia tenet primò, quia multitudo eorum, quorum singuli habent æqualem indifferentiam ad alterutrum ex duobus extremis, neutrum eorum maiori necessitate fundata in natura talis multitudinis, inducere valet, quàm alterum. Tenet rursus consequentia à fortiori; Quia Augustinus inter alios, apud eundem, ibidem, docet semel, atque iterum, Deum nec permissurum fuisse peccata, nec producturum Reprobos, nisi ex illis collecturus fuisset fructus bonorum operum; & ex istis vtilitatem Prædestinatorum; Idque vbique deducit ex natura rerum, & bonitatis diuinæ. Id verò perinde est, atque dicere, nulli Deum collaturum fuisse Cogitationem incongruam, nisi eidem vel alteri collaturus fuisset cogitationem congruam. Ergo si necesse fuit ex natura rei dare alicui, vel aliquibus aliquando Cogitationem incongruam, necesse vtique fuit à fortiori ex natura rei, vt aliquam alicui conferret cogitationem congruam ac proinde huius existentia non habet rationem specialis Gratiæ respectu totius Collectionis Hominum. & vagè respectu alicuius indiuidui.

Ad 1. Collectio ex multis conflata, superaddit singulis reliquis, vnde à singulis distinguitur realiter inadæquatè; sicut ab vno

procul dubio est ista, quæ modò illata est, nunquam contingit. Igitur Deus non prę-uidit vllam hominum collectionem æqualem multitudini hominum de facto existenti, & exponendam tot oportunitatibus operandi, quot existunt de facto, futurã esse totaliter conformẽ, aut in operando bene aut in operando malè, & consequenter nullam talẽ collectionem hominũ, & oportunitatũ præuidit vniformiter existentẽ, aut totam, & semper cum cogitatione congrua; aut totam & semper cum incongrua. Patet hæc vltima consequentia; quia aliquem vel aliquos benè operari est habere congruam cogitationem: certè est inseparabile à congruitate cogitationis, & eodem modo peccare, est quid inseparabile ab incongruitate cogitationis. Quare fieri nequaquam potuit, vt toti hominum collectioni sumptæ collectiuè, negaretur congrua cogitatio, aut vt eadem toti eidem collectiuè sumptæ daretur: Ergo congrua cogitatio est innegabilis vagè toti hominum collectioni, pro quouis statu loquendo per se; ac proindè non habet rationem Gratiæ superadditæ vel respectu Creationis, vel respectu Eleuationis, vt sic, & in communi, comparatione totius multitudinis hominum, sed vagè comparatione alicuius Indiuidui vagè sumpti.

Confirmatur ex aliquorum Patrum responsione ad antiquam, & celebrem quæstionem; Cur Deus, cum sit summè bonus, ac benignus, non impedierit omnia peccata Angelorum, & Hominum, eosque creauerit, præscius peccaturos fuisse si crearentur? Respondent enim, vt videre licet, inter alios apud Montoiam disp. 55. de Scient. Dei sect. 3. 4. & 5. Deũ facere minimè po-

potuisse, vt vitarentur omnia peccata Angelorum, & Hominum, salua eorum Libertate, qualis vtique ipsis est connaturaliter debita. Esto iuxtà alias prouidentię extraordinariæ leges aliter facere potuerit, qui est Dominus vniuersorum, & Omnipotens. Ergo nec fieri potuit vt salua eadem Libertatis indifferentia impediretur omne opus bonum, nullaque conferretur cogitatio congrua. Consequentia tenet primò, quia multitudo eorum, quorum singuli habent æqualem indifferentiam ad alterutrum ex duobus extremis, neutrum eorum maiori necessitate fundata in natura talis multitudinis, inducere valet, quàm alterum. Tenet rursus consequentia à fortiori; Quia Augustinus inter alios, apud eundem, ibidem, docet semel, atque iterum, Deum nec permissurum fuisse peccata, nec producturum Reprobos, nisi ex illis collecturus fuisset fructus bonorum operum; & ex istis vtilitatem Prædestinatorum; Idque vbique deducit ex natura rerum, & bonitatis diuinæ. Id verò perinde est, atque dicere, nulli Deum collaturum fuisse Cogitationem incongruam, nisi eidem vel alteri collaturus fuisset cogitationem congruam. Ergo si necesse fuit ex natura rei dare alicui, vel aliquibus aliquando Cogitationem incongruam, necesse vtique fuit à fortiori ex natura rei, vt aliquam alicui conferret cogitationem congruam ac proinde huius existentia non habet rationem specialis Gratiæ respectu totius Collectionis Hominum. & vagè respectu alicuius indiuidui.

Ad 1. Collectio ex multis conflata, superaddit singulis reliquis, vnde à singulis distinguitur realiter inadæquatè; sicut ab vno-

quoque distinguuntur realiter cæteri. Iis autem, quæ distinguuntur realiter, possunt prædicata contradictoria conuenire. Non igitur valet consequentia ex vi formæ, ex indebito respectu cuiusuis in collectione contenti, ad indebitum respectu totius collectionis; & eadē est ratio, de consequentia, ab vno quolibet determinatè sumpto, ad vnum quemlibet indeterminatè ac vagè. Vnde, *Nullus non* valet *Omnis*, si vtrobique sit eadem suppositio; non verò si in altero termino suppositio sit vaga, & in altero distributiua, seu collectiua. In re nostra, Cogitatio congrua, & bonum opus cuiusq. habet ex natura sua incompossibilitatem moralem cum vniformitate reliquorum, quoad congruitatem, & bonam operationē, vt ostensum iam est. Nunquam autem est bona consequentia à singulis ad collectionem, quoad ea, quorum existentia in aliquibus, est ex sua natura incompossibilis, cum existentia eorumdē in cæteris. In Deo nulla multiplicitas eligibilium, aut instantium, pro quibus eligere potest, vllam inducit probabilitatem electionis casuræ potius in aliquod ex illis, quàm in extremum oppositum consistens in indiuisibili. Quia siue eligibilia sint multa, siue pauca, siue vnicum, semper est vnicum & indiuisibile motiuum, & causa eligendi; sola namque moueri potest bonitate essentiæ suæ. At respectu voluntatis creatæ, tot sunt causæ motiuæ eligendi, quot sunt eligibilia; atque multiplicatis causis, quarũ quælibet sufficit ad inducendum effectum, augetur probabilitas futuritionis talis effectus vt constat ex discursu superiori. Quare necessitas, vt Deus conferat congruam cogitationem alicui ex tota hominum multitudine, resul-

tat indirectè in Deum ex necessitate, quæ inest hominibus, ne sint inter se conformes, quoad operationem bonam, vel malam, ex suppositione quod constituantur à Deo æque indifferentes.

Ad 2. Nulla multitudo hominum, aut aliarum quarumlibet causarum perfectè indifferentium ad bonum & malum æqualis multitudini hominum de facto existenti, est indifferēs ex natura rei, vt tota collectiuè careat cogitatione congrua; sed est ex natura rei determinata, saltem moraliter, vt insit congruitas alicui Indiuiduo. Quare de tali determinatione gloriari non potest, quasi de aliquo non accepto à Deo; nec propterea habet aliquid, per quod discernatur ab alia simili multitudine. Nihil igitur propterea habet, de quo gloriari possit, tamquam de re non accepta à Deo, & quasi se per se ipsam discreuerit ab alia multitudine.

Ad 3. Non minus necesse est: Certè non multò minus, aut multo aliter necesse est, vt proueniant bona exempla, quam vt veniant scandala, posita perfectà singulorum hominum indifferentia, ad vtrumlibet illorum. Cœterum quia scandala proueniunt ab hominibus, quibus ea suppositio non est libera; propterea absolutè dicitur, *necesse esse vt veniant scandala*. Quia eorum necessitas non est vitabilis à causa ipsorum; sed est ineuitabilis, modo iam explicato. At bona exempla proueniunt à Deo, tanquàm à primo & principali ipsorū Auctore; atque ipsi non est ineuitabilis; sed omninò libera suppositio existentiæ hominum, & indifferentia eorumdem, vt dent bona exempla, ac propterea, non potest eodem modo absolutè dici quod necesse sit, vt veniant

bona exempla. Quia videlicet, respectu causæ principalis, & præcipuæ ipsorum, non est necessaria suppositio fundans necessitatem eorum, qualis explicata est.

Ad 4. Quando necessitas vaga multitudinis, quoad aliquod bonum, vel malum, fundatur in perfectâ indifferentia singulorum, ad illud habendum, & vitandum, non reddit optabilem respectu singulorum omissionem boni, vel incursionem mali in cæteris contentis in collectione. Quia vnusquisque eodem prorsus modo comparatur in actu primo ad suam electionem bonam vel malam, cæteris omnibus quomodolibet se habentibus; nec redditur melioris conditionis, quoad electionem bonam faciendam, & vitandam malam, ex eo quod cæteri omittant electionem bonam, & faciant malam. Nec enim ex vno quolibet sic, vel aliter operante, redundat in aliquem alium peculiaris dispositio bona, vel mala ipsum peculiariter aut determinans, aut alliciens, vt eligat bene, vtque euitet malam electionē. Hic nimirum est casus, de quo quæritur in præsenti: sed causat æquiuocationem, quod cognitio electionis malæ factæ à cæteris omnibus contentis in collectione, præter vnum, determinet Intellectum ad iudicandum illum vnum facturum esse bonam electionem, & habiturum esse congruam cogitationem; Determinat verò legitime ex vi discursus superioris: At electio reliquorum, præter vnum, non ita præcedit electionem illius vnius pro priori naturæ; nec afficit intrinsecè, mediatè, vel immediate voluntatem illius, sicut præcedit cognitio cognitionem; & afficit intrinsecè Intellectum iudicantis, ac inferentis vnum ex alio. Quod discrimen est manifestum,

festum,

festum, & maximè obseruandum, pro rebus similibus propter innatam inclinationem transferendi in obiecta prædicata proportionalia prædicatis cognitionum; quæ inclinatio per sæpe nocet ac fallit in scientijs. In necessitate vaga non fundata in perfectâ indifferentiâ singulorum, alia longè ratio est, vt apparet consideranti, quæ dicta sunt.

Ad 5. Omnia creata sunt libera Deo absolutè in vtramlibet partem; Non tamen factâ qualibet suppositione, quia suppositio aliquorum effectuum inducit sæpe necessitatem quoad aliquos alios effectus, vt exponetur quæstione seq. atque eiusmodi suppositio est existentia causarum secundarum liberarum respectu multitudinis ipsarum; & inde respectu disconformitatis inter easdem, quoad bene, & malè operandum; vt dictum est. Vnde impossibile fuit ex natura rei, vt existerent, vel soli operaturi semper benè; vel soli operaturi semper malè.

## QVAESTIO VI.

### Vtrum diuisio Gratiæ in naturalem, & supernaturalem sit diuisio in Auxilium debitum, & indebitum?

VIDETVR non esse. 1. Quia Bona indoles, præclarum acumen Ingenij, Splendor Natalium, diuitiæ, Principatus, & similia, nulli homini debentur; sed Deus ea largitur cui vult, liberaliter, & gratiosè; & tamen sunt bona omninò naturalia. Ergo

non conuertitur Indebitum cum Supernaturali; neque Connaturale cum eo, quod debetur.

2. Cuilibet inest capacitas Vniuersalis ad omnia sibi conferibilia à Deo; & Deo similiter conuenit potestas vniuersalis conferendi omnia, quorum est capax Creatura. Ergo neque ex parte capacitatis Creaturæ; neque ex parte potentiæ diuinæ datur vllum discrimen bonorum, quæ debentur & non debentur rebus creatis. Ergo discrimen naturalis & supernaturalis, quod reipsa datur inter aliqua dona Dei ab aliis eiusdem donis, conuerti nequaquam potest, cum discrimine nequaquam subsistente re ipsa doni debiti, & indebiti.

3. Deus antequam quidquam crearet, nihil cuiquam debebat, nec debere poterat, quando nullus erat, cui aliquid deberetur. At dominium Dei non est diminutum post creationem, quin tam facile potest vertere in nihilum totam rerum vniuersitatem, quàm facile totam de nihilo procreauit. *Quoniam tanquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram.* Vt habetur Sap. 11. Est igitur volubile totum hoc vniuersum in vtramuis partem, quoad esse, & non esse; sicut statera est inclinabilis in vtramuis lancium partem; & sicut gutta roris est exsiccabilis, & facile vanescens vi caloris solaris. Quòd si hac facilitate totum hoc vniuersum annihilabile est; ideoque toti illi sua existentia & conseruatio minimè debetur; nulla vtique pars eius, vlli alteri parti debita erit, siue naturalis illa sit, siue supernaturalis.

4. Accidentia & proprietates Angeli non debentur homini; & tamen si ipsi conferrentur

rentur, non propterea conferretur donum supernaturale. Et eadem ratio est de collectione proprietatum superioris Angeli respectu Inferioris; nec non de existentiâ substantiæ perfectioris, quàm sint omnes substantiæ existentes de facto, si induceretur in hoc vniuersum. Ergo ratio indebiti non conuertitur cum supernaturali.

5. Debitum & indebitum dicuntur relatè ad naturam cuiusque, seu ad cuiusque exigentiam intrinsecam. Naturale verò & supernaturale dicuntur relatè ad totam Naturam, totamque rerum sibi inuicem connaturalium collectionem, & supernaturale ex conceptu suo euehitur supra omnē Naturam creatam, & creabilem. Ergo ratio debiti & indebiti, atque Naturalis, & supernaturalis non sunt conceptus inuicem conuertibiles; sed omninò disparati.

6. Dona supernaturalia sunt inuicem connexa, & in quibusdam eorum continetur ratio debiti respectu aliorum, non secus atque res ordinis naturalis sunt inuicem connexæ, & ex suppositione quarumdam ex illis, quædam aliæ debentur. Ergo nullum est discrimen Debiti & Indebiti, inter Naturalia & supernaturalia, si considerentur sub eadem proporionali comparatione.

R. Licet ipsa vox *Supernaturale*, *&* *Dona supernaturalia*, apud vnum, vel alium ex Patribus Ecclesiæ rarenter vsurpata reperiatur; frequens tamen, & familiaris eius vsus apud solos Doctores Scholasticos increbuit, atque ab ijsdem exposita, & determinata, ac stabili significatione donata est. Quod nemo in antiquis, & modernis Auctoribus versatus in dubium reuocare potest. Significationem autem huius vocis apud Scholasticos, eam esse, quam nos expressimus

mus, deprehendi facile potest, ex Principijs Doctrinæ Scholasticæ, Magistro, & D. Thomâ, Magister enim in 2. dist. 33: lit. M. cum præmisisset, per peccatum hominem fuisse spoliatum gratuitis bonis; mox subdit, idest, *Virtutibus Supernaturalibus*. D. Th. q. 111. huius 1. 2. a. 1. ad 2. Cum distinxisset duplex debitum, aliud secundum meritum, aliud secundum conditionem Naturæ; idest, secundum exigentiam innatam, subiungit immediatè sic. *Dona igitur naturalia carent primo debito; non autem carent secundo debito: sed dona Supernaturalia vtroque debito carent, & ideò specialius sibi nomen Gratiæ vendicant.* In eundem prorsus sensum exponunt ex consensu aliorum Theologorum, dona supernaturalia Soto de Nat. & Grat. sub init. Suar. Opusc. 1. l. 3. c. 1. & 2. Valent. Granad. & alij communiter in præsenti.

Discrimen porrò debiti, & Indebiti consistit, in proportione & defectu proportionis vnius rei, respectu alterius. Ratione enim talis proportionis redditur innegabilis vna res alteri; Negabilis verò ob defectum eiusdem proportionis, vt docet inter alios D. Thomas 1. p. q. 21. a. 4. & 1. cont. Gent. c. 28. & 29. Vbi Statuit Deum ex debito Iustitiæ conferre vnicuique Creaturæ, quidquid est illi proportionatum, & ab ea secundùm conuenientem ordinem exactum. Audiatur in 4 dist. 46. q. 1. a. 2. ad 2. quæst. 1. *Similiter quod Deus talem Creaturam producat, qualem voluerit, indifferens est ad rationem iustitiæ: sed quod aliquâ naturâ productæ ei attribuatur, quod illi Naturæ competit, hoc ad eius iustitiam pertinet; & contrarium eius Iustitiæ repugnat.* Quod hoc loco dicitur, illi Naturæ competere, explicatur ab eodem

illo

n artic. 4. per hoc quod ab ea Naturà exigatur innatè ex intrinsecà sib proportione. Est igitur vnicuique deb tum, quod est illi proportionatum. Indebitum verò, quod superat eius propo tionem.

Si cui hæc expositio obscura adhuc, & implicata videatur; tametsi in se sit satis clara, & clarissimum habens Auctorem; atque ex legitima, & sincera rerum consideratione facile insinuabilis animo, Dici vlteriùs potest. Id esse vnicuique proportionatum, & debitum ratione proportionis, quod necesse est vt ipsi superaddatur, ne aliquid perperam existat in rerum Natura, Neue Deus aliquid inutiliter fecerit. Id verò esse supra proportionem, atque indebitum, & gratuitò superaddendum, quod & prodest alicui, & tamen ea de causà necessarium non est ex eiusdem rei suppositione. Sunt nimirum aliqua, post quæ si alia quædam non superaddantur, perperam ea inutiliterque existent. Si enim existat organizatio propria corporis humani cum omnibus qualitatibus spectantibus ad complementum perfectionis eius, eique non superaddatur Anima rationalis, inutiliter profectò & perperam extiterit organizatio, Facta namque erunt Instrumenta videndi, audiend &c. quorum nullus sit vsus; quod est perperam & inutiliter illa facta esse. Nempe *frustra calceamentum hoc dicimus, cuius nulla est calceatio*, vt dicitur 1. de Cœlo. text. 32. Similiter lib. de incessu anim. c. 9. fine. *Natura autem nihil contra Naturam facit*. Appellat verò Philosophus *Contra Naturam*, quod nulli vsui esse potest. Nempe hæc sunt verba eius immediatè præcedentia. Quare si existente homine non darentur obiecta tangibilia, & visibilia &c.

Non minùs frustra existerent in eo potentiæ tangendi, videndi &c. Quia frustra est potentia, cuius nullus potest esse vsus. Est autem debitum cuilibet entitati, ne perperam existat in rerum Naturà; quia est debitum eidem, atque essentiale, vt existat Auctore Deo, cuius Sapiẽtiæ repugnat, vt perperã atque inutiliter quidquam agat. Quod est principium certissimum, & frequẽs apud Philosophum, vt videre est præcipuè ex eodem illo libro de Incessu Anim. c. 2. *Illorum autem*(inuariabilium in Naturà) *vnum est*, ait, *Naturam nihil frustra facere; sed semper ex ijs, quæ cuique Animalium generis essentiæ contingunt, id quod optimum est. Quamobrem si melius hoc modo, ita Natura se habet.* Negari igitur non potest esse aliqua, quæ quibusdam alijs positis à parte rei, necessariò subsequantur. Atque ea necessitas subsecutionis Debitum appellatur.

Sunt nihilominus alia, quæ si præexistentibus superaddantur, cedet id quidem magno ipsorum bono, sed si negẽtur nihil propterea datum erit frustra in rerum Natura; nihilque inutile euadet ex parte rerũ præexistentium. Si enim Humanitati Christi secundum sua prædicata quidditatiua considerataæ data non fuisset vnio hypostatica, quæ est maxima ipsius perfectio, non propterea perperam, ac inutiliter extitisset, sed cum totà eà vtilitate, & commendatione, diuinæ Sapientiæ, cum qua existunt reliquæ Humanitates non assumptæ à Verbo diuino. Similiter si Prophetis negata fuisset cognitio futurorum contingentium, quæ præcognouere cum certitudine, non propterea extitisset perperam vis consultatiua, & discursiua circa futura; Sed cum totà ea vtilitate, cum quà eadem in cœteris hominibus

existit.

existit. Negari igitur non magis potest dari aliqua, quæ si alijs præexistentibus superaddantur, prosint quidem illis plurimũ; sed si non superaddantur, nihil propterea ex parte præexistentium redundet, aut inutiliter existat; atque ideò necesse non sit, vt superaddantur, attentâ præcisè eorum, & præexistentium naturâ; quæ negatio necessitatis, nomine Indebiti significatur.

Tota ista vtilitas, & inutilitas rerum præexistentium, quibusdam alijs superadditis, aut non superadditis reducitur in potentiam actiuam, & passiuam rerum præexistentium. Si enim præexistat potentia aliqua actiua, aut passiua, seu principalis, seu instrumentalis; negetur verò deinde aliquid eorum, sine quibus impossibile omninò est, talem potentiã reduci in actum secundum, id est, exerceri actione, aut passione determinante ad agendum, & patiendum secundùm totam suam virtutem actiuam, & passiuam, frustra procul dubio extiterit talis potentia, iuxta Principium Philosophi, nuper positum. Si verò præexistente virtute aliquâ actiuâ aut passiuâ, superaddatur aliquid, ratione cuius producatur effectus, aut inducatur forma præstantior, quàm quæ sufficit ad exercitium totius virtutis actiuæ, & passiuæ præexistentis, id procul dubio erit Indebitum, atque donatum, nulla præexistente necessitate donationis, ex parte earũ rerum, quibus fit superadditio. Subsistit itaque discrimen intentum Debiti, & Indebiti; Proportionati, & excedentis proportionem respectu cuiusque entitatis. Pro maiori claritate, obseruandum est, totam virtutem actiuam, quam exercet Intellectus humanus, quantum est ex se in actu visionis Dei, aut fidei diuinæ, exerceri etiam in

actu cognitionis abstractiuæ de Deo, & in actu fidei humanæ: Quia excessus visionis supra cognitionem abstractiuam, & fidei diuinæ, supra humanam non prouenit formaliter ab Intellectu, aut ex maiori ipsius secundum se conatu; sed ex lumine Gloriæ, & habitu Fidei a Deo infusis. Similiter tota perfectibilitas Naturæ humanæ, & vis eius passiua respectu suppositi Diuini exercetur & reducitur in actum secundum, per suppositum humanũ. Nempe habito supposito humano, ita expletur tota eius in hoc genere capacitas, vt non possit simul vllam aliam subsistentiam recipere. Vnde Suppositum diuinum nobiliùs quidem, & vtiliùs explet capacitatem Naturæ humanæ; non tamen magis, aut maiorem capacitatis partem explet, ad eum modum, quo idem vas nobiliùs impletur pretioso liquore, quam vili, sed non magis. Quæcumque igitur eiusmodi sunt, quibus superadditis meliùs habeant præexistẽtia, & meliori, aut effectu, aut forma exerceantur; iisdemque non superadditis, nulla nihilominus in præexistentibus, virtus actiua, aut passiua vacua, otiosa, & inutilis redditur; ea sunt omninò gratiosa, & nullatenus debita.

Contingit verò aliqua deberi modo dicto vagè & indeterminatè; alia verò omninò determinatè: Alia rursus mediatè; alia verò immediatè, tam in genere causæ efficientis, quàm in genere causæ passiuæ. Cuicumque enim causæ sublunari debetur existentia Corporum cœlestiũ, quorum videlicet virtute actiuà non cooperante, nulla Causa sublunaris, potest exercere suam virtutem actiuam. Quia verò Corpora cœlestia non magis possunt totam suam virtutem actiuam vllo pacto exercere, quin existat omne

genus

genus effectuum producibilium, per quaslibet causas sublunares; atque ideo supposita existentia Corporum cœlestium, necessaria, ac debita est existentia omnium causa um sublunarium; Propterea vni cuilibet Causæ sublunari debetur, saltem mediatè, cæterarum omnium causarum sublunarium, quæ de facto dantur, existentia. Similiter Principatus, bona Indoles, præclarum Ingenium, Animi & Corporis vigor militaris egregius, & similia nulli homini secundum suam præcisè substantiam considerato, determinatè debentur. Quia tamen cuiuis homini debetur ex natura rei determinatè existentia plurium hominum quorum rursus multitudini debetur aliquis Princeps quo non dato, non possent homines exercere totam dirigibilitatem, & vim directiuam mutuam, quæ ipsis inest in ordine ad communem vtilitatem; propterea Principatus debetur vnicuique hominum vagè & indeterminatè. Eadem ferè ratio est, de ratione Debiti respectu bonæ Indolis &c. Quia vnicuii determinatè debetur existentia Causarum cœlestium, & sublunarium, cum motu, & diuersis inde mutuis ipsarum aspectibus, ex quibus simili necessitate proueniunt inæquales corporales dispositiones omnis generis in alijs, atque alijs Indiuiduis. Atque ex his, cum eiusmodi diuersitate existentibus, necessariò proueniunt bona & mala indoles, obtusum & acutum Ingenium, complexio robusta, & debilis; & similia in alijs, atque alijs Indiuiduis. Quæcumque igitur sunt eiusmodi, habent absolutam rationem Debiti quatenus existente aliquo cui aliquid aliud, saltem mediatè & vagè debetur modo dicto, necesse est hoc aliud existere in rerum Naturâ; siue in illo ipso Indiuiduo,

diuiduo, aut Specie. Concluditur igitur non esse Indebitum simpliciter, nec vltra limites Naturæ constitutum, respectu alicuius, quod est debitum eidem, saltem vagè & indeterminatè sumpto, aut mediatè tantùm.

Verùm quod est indebitum, etiam mediatè & vage, potest adhuc duplici modo habere rationem indebiti respectu alicuius. Primò ex naturà vtriusque secundum se præcise consideratâ; Ita vt retineat rationem Indebiti etiam suppositâ existentia eorum omnium, quæ subiecto cum quo comparatur, aliquo ex modis huc vsque descriptis, nullàque factà, quoad aliquid horum, suppositione contrariâ, retineat rationem Indebiti; & quod tale est, dicitur Indebitum ac gratiosum quoad substantiam. Quod autem est indebitum alicui tantùm ex suppositione aliquà accidentali excludente ab ipso aliquid eidem debitum, aliquo ex iisdem modis superiùs declaratis, dicitur, & est indebitum tantùm secundum modum. Propter priorem rationem indebiti Vnio Hypostatica dicitur ab omnibus, & est indebita & gratiosa quoad substantiam respectu humanæ Naturæ. Quia videlicet præhabente Naturà humanà omnia & singula, quæ sibi debentur tam vagè quam determinate sumptæ, & tam mediatè quàm immediatè, adhuc est prorsus indebita illi vnio hypostatica. At quod videat qui cœcus natus est, est indebitum tantùm quoad modum; quia Homo ex se est capax videndi, habetque actiuitatem ad id sufficientem, quæ exerceri, & reduci in actum secundum, nec formaliter possit, nec æquiualenter sine instrumentis videndi. Vnde quod ea desint, est merè per accidens ex interuentu agentis contrarij.

Ex

Ex his itaque omnibus apparet clarè subsistere discrimen inter ea quæ vnicuique debentur ex Naturà rei, ab ijs, quæ sunt vnicuique indebita ex natura rei; adeoque posse, ac debere affirmari conuertibilem diuisionem Gratiæ in naturalem, & supernaturalem, cum diuisione Auxilij, in Indebitum, & Debitum, atque quod erit indebitum quoad substantiam, esse Supernaturale quoad substantiam, Et supernaturale quoad modum, quod est indebitum quoad modum. Confirmatur hæc eius diuisionis expositio, quia notitia rerum supernaturalium, & discriminis earum à naturalibus deriuata primitùs est solummodo ex sacris literis, in quibus tamen nulla habetur comparatio donorum supernaturalium cum substantijs creabilibus de potentià absolutà, neque relatio ad prædicata quædam, quæ à nonnullis Theologis excogitata nuper sunt; sed solùm cum natura eorum, quibus donata sunt. Certè nemo dubitat D. Petrum expressisse dona supernaturalia, dum dicit c. 1 suæ secundæ Epist. *Maxima & pretiosa nobis promissa donauit*. Et tamen quod aliquid respectu alicuius sit maximum & pretiosum, pēdet tantùm à mutuà vtriusque inter se comparatione. Seclusà namque quacumque alià consideratione, Maximum respectu cuiusque, & pretiosum est, quod est vltra dignitatem eius, proportionem in tali dignitate fundatam, actiuitatem, & capacitatem reducibilem adæquatè in actum secundum, per effectum ad formam minoris momenti. Non magis dubitari potest quin D. Paulus ob oculos patenter posuerit Dona supernaturalia quoad substantiam, dum 1. ad Cor. 2. dicit ex Isa. 2. *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit nec in cor hominis*

*minis ascendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt eum*. Id verò nec oculus videt, nec auris audit, quod est maius ijs quorum auditione & visione exerceri adæquatè potest tota vis actiua & passiua vtriusque huius potentiæ; atque in cor hominis solùm & omne id ascendit, quod ex actiuitate ipsius. & illorum omnium, quorum existentia sibi debetur, prouenire potest. Iam quod Matt. 16. dicit Christus Dominus Petro Apostolo; *Beatus es Simon Bar. Iona. quia Caro & sanguis non reuelauit tibi; sed Pater meus, qui in Cœlis est*; nemo est qui dubitet esse expressiuum fidei supernaturalis existentis in Petro. Ergo excessus effectus supra virtutem actiuam conuenientem alicui eius causæ secundum se præcisè consideratæ, & secundum ea quæ secum affert, vi suæ dignitatis fundatæ in agendi, & patiendi vi propriâ, est conuertibilis cum conceptu doni supernaturalis. Idem obseruare facilè licet in omnibus & singulis Sacræ Paginæ testimonijs, quæ Sanctis Patribus & Theologis persuaserunt existentiam donorum supernaturalium; sed sufficit in præsens illa, quæ eam in rem sunt celebriora, & communiter clariora censentur, breuiter attigisse. Inde enim satis constat expositionem datam doni supernaturalis esse legitimam, & veram esse conuertibilitatem eorumdem cum donis indebitis, nec non naturalium cum ijs, quæ debentur.

Ad 2 Dictum iam est bonam Indolem & cætera similia ita esse indebita respectu vnius cuiusque Indiuidui determinatè sumpti, vt tamen sint debita respectu cuiusuis sumpti vagè & indeterminatè: Ac proinde non esse indebita Homini simpliciter atque omnibus modis, qualiter dictum est esse indebitum donum supernaturale.

Ad

Ad 2. Capacitas explebilis totaliter per aliquid inferioris conditionis, hoc solùm reddit sibi debitum; non verò quod est superioris conditionis: licet per ipsum ea sit non minùs explebilis; quia si alterum ex duobus inæqualibus inter se adæquet omnino dignitatem alicuius, atque alterum extremum sit præstabilius, hoc vtique erit super talem dignitatem, nec illi debebitur. Capacitas autem vniuersalis substantiarum creatarum ad omnia conferibilia à Deo semper est explebilis totaliter per aliquid, quò maius aliud efficere & conferre Deus possit. Quare quia vniuersalitas ea recipiendi, non est coniuncta cum vniformitate in ordine ad omnia receptibilia, non facit, vt sint omnia vel debita vel indebita vniformiter.

Ad 3. Dominiũ Dei nulla suppositione augeri, aut minui potest; licet multiplicẽ possit necessitatẽ subire; Quia nullam necessitatẽ ad aliquid creatũ habere potest distinctã à voluntate sua libera circa illud idem obiectum. Quare si Deus voluisset condere vniuersum cum voluntate illud annihilandi intra tempus determinatum, tàm facilè id præstare potuisset, quàm facilè de facto conseruat in æternum. Potest verò vtrumque infinita facilitate, idque & nihil amplius significant exemplum stateræ, & roris antelucani. Nec enim his exemplis repugnat, quod productis quibusdam rebus, & conseruatis in esse alia quædam necessariò adijciantur, ne perperam ac inutiliter priora opera molitus sit Deus; sicut non est contra volubilitatem stateræ, vt stet misso in vtramque lancem æquali pondere, nec est contra debilitatem guttæ roris antelucani, quod non euanescat calore solis, si prote-

gatur

gatur vmbris; Spectat nimirum ad sapientiam Dei, vt non velit aliquid, nisi volendo simul eadem immediate libertate, quâ vult illud, cætera etiam omnia, ne quoad primum inutiliter egerit, idest, ne contemptibilis ac ridiculus reddatur, quoad primum opus; sicut redderetur quilibet alius, ex cõsilio & electione propria faciens, vt opus suum euaderet inutile, & fine suo carens. Dictum autem est huiusmodi conditionatam Dei necessitatem ex suppositione alicuius ad aliquid aliud, dici debitum latè respectu huius alius.

Ad 4. Accidentia & Proprietates Angeli, non debentur homini cum vnione ad ipsum hominem. Cæterum debetur eidem, vt existant Angeli cum suis accidentibus & proprietatibus; quia cuilibet parti Vniuersi debetur mediatè, vel immediatè existentia omnium, & singularum eius partium constituentium peculiarem aliquem gradum entis, Idem dicitur de Angelo superiori, & inferiori suo modo. Quare nihil horum est simpliciter indebitum; ideoque nec supernaturale quoad substantiam; sed solùm haberet supernaturalitatem quoad modum, si quæ sunt propria substantiæ superioris accõmodarentur substantiæ inferiori. Iam substantia perfectior omnibus substantijs existentibus de facto, non esset nec supernaturalis, nec connaturalis, nec infranaturalis respectu huius Vniuersi: sed præcisè præternaturalis & disparatè se habens; quia quæ congruunt huic Vniuerso, omnia de facto dantur.

Ad 5. Natura, comparatione cuius supernaturale aliquid dicitur, est exigentia & proportio cuiusque rei fundata in eius virtute actiuâ & passiuâ, vti expositum est.

Qua

Qua eadem comparatione debitum aliquid & indebitum dici, expositum itidem satis est. Quod si iuxta aliquos Naturam, supra quam euehitur Ens supernaturale, accipere libet pro tota rerum naturalium vniuersitate; dicatur esse Collectionem rerum mutuò inter se connexarum, nec habētium connexionem ex parte sua non mutuam cum re aliquā creatā, vt existente à parte rei. Ordo verò supernaturalis est collectio rerum ita inter se connexarū, vt simul habeant connexionem ex parte sua non mūtuam cum rebus alijs creatis. Dictum nimirum est, quodlibet ens naturale connecti mediatè, vel immediatè cum alijs omnibus speciebus rerum connaturalium, eorumque existentiam sibi deberi, saltem vagè, & mediatè; cum nulla verò re supernaturali habere connexionem. At supernaturalia licet in hoc cum rebus naturalibus conueniant quòd mutuò inter se connectantur eodem modo, & ob eandem rationem in eo tamen differunt, quòd non possint exercere totam suam virtutem actiuam, & passiuam nisi existente ordine Naturæ, cuius illa sunt promotiua, perfectiua & eleuatiua ex natura sua; eaque propter habent connexionem cum tali ordine, & cum rebus in eo contentis, cuiusmodi nulla vicissim conuenit connexio naturalibus. Atque per hæc patet ad sextum.

QVÆ.

# QVAESTIO VII.

## Vtrum omnia Auxilia conducentia in finem supernaturalem sint intrinsecè supernaturalia?

VIDETVR non esse 1. Quia non est necesse omnes actus salutares versari circa motiuum supernaturale. Ergo non est necesse eosdem oriri à Gratia intrinsece supernaturali. Patet consequentia. quia omnia motiua naturalia continentur intra ambitum potentiæ, & comprincipiorum; & consequenter actuum intrinsece naturalium; Nempe quæ excedunt vigorem & sufficientiam Naturæ sunt eo ipso supernaturalia. Probat antecedens Vasquez 1. quia Luc. & Matt. 10. & alibi sæpe promittitur atque redditа perhibetur vita æterna propter obseruantiam Legis naturalis, & opera misericordiæ, nullà factà expressione, aut insinuatione motiui supernaturalis. 2. quia Conc. Trid. sess. 6. c. 16. definit, Operibus factis in Gratià, & ex Gratiâ per Christum, nihil deesse ad meritum vitæ æternæ. Actus autem motiui naturalis fieri possunt ab Homine iusto, idest, in Gratia, & ex cogitatione indebità, saltem quoad congruitatem, maximè pro præsenti statu Naturæ lapsæ, quod est eos esse ex gratia per Christum, per quem scilicet habemus omnia dona, vndecumque indebita naturæ; Ea verò maximè, quæ sunt indebita ratione peccati originalis. 3. Quia plerisque bene operantibus, ne quidem venit in mentem motiuum

motiuum vllum supernaturale. Vnde fieret maiorem longè partem bonorum operum, quibus exercentur Fideles, etiam iusti, euadere prorsus inutilem certè nihil positiuè conferentem ad vitam æternam, quod est durum dictu, & si communiter crederetur à fidelibus, abiret in contemptum, atque inde in desuetudinem.

2. Omnes actus eliciti auxilio Gratiæ per Christum sunt salutares; sed omnes actus honesti, etiam intrinsecè naturales sunt ex auxilio per Christum, nec possunt elici absque illo. Ergo omnes actus honesti etiam intrinsecè naturales sunt salutares, id est cõferentes positiuè ad finem supernaturalem. Ergo Auxilia Gratiæ intrinsecè naturalia possunt esse conducentia positiuè in finem supernaturalem. Patet secunda consequentia, quia ad actus intrinsecè naturales non est necessarium auxilium intrinsecè supernaturale. Probatur maior. Quia omnis Gratia per Christum est positiuè salutaris, cum Christus ea solùm de causa mortuus sit, vt consequamur salutem æternam. Vti docet inter alios Augustinus Epist 105. col. 3. ab illis verbis. *Etenim Christus &c.* Probatur minor ex frequenti Conciliorum, & Patrum doctrina, statuentium 1. ad omnia & singula bona opera, semper & vbique, necessarium nobis esse Adiutorium Dei, & Gratiam per Christum. 2. sine isto adiutorio, & Gratia nihil boni posse hominem peragere. 3. Nihil habere de se hominem, præter mendacium, & peccatum; ac proinde cœtera omnia haberi ex Gratia Dei per Christum. 4. Eundem non esse liberum ad bonum absque Gratiâ per Christum; sed tantùm ad malum.

3. Actus intrinsecè naturales, & eliciti

cum auxilio intrinsecè naturali, possunt esse proprij hominis iusti. Certum enim est hominem iustum, posse moueri ad operandum ex motiuo honesto naturali; nec indigere gratiâ intrinsecè supernaturali, vt ex tali motiuo operetur. Actus autem honesti, qualescumque sint, & vndecumque proueniant, dummodo fiant ab homine iusto, euadunt positiuè salutares: Quia dignificantur atque eleuantur per Gratiam sanctificantem in genere causæ formalis, non secus, atque eleuatur in genere causæ efficientis Intellectus, aut voluntas per adiunctos sibi habitus supernaturales. Ergo auxilia Gratiæ intrinsecè naturalia possunt euadere positiuè salutaria, ac proinde conferentia positiuè in finem supernaturalem.

4. Facienti quod in se est, Deus non denegat Gratiam, iuxta vulgare axioma. Faciens autem, quod est in se, prout opponitur sibi facienti ex gratia data à Deo, operatur cum auxilio intrinsece naturali. Ergo actus eliciti cum tali auxilio, & consequenter ipsum auxilium, participant conceptum doni positiuè salutaris, vtpote vtilis, ac positiuè conferentis ad consecutionem Gratiæ supernaturalis conferendæ à Deo cum infallibilitate dependenter ab opere, elicito cum tali auxilio. Idem suadent promissiones illæ Euangelicæ: *Petite & accipietis: Quærite, & inuenietis: Pulsate, & aperietur vobis.* Ex quibus apparet, cumulum donorum supernaturalium expectare, præuios honestos conatus Naturæ, vt homine id quærente ex se, quo indiget, suamque indigentiam precibus agnoscente, Dominus supereroget, quo abundet. Et quidem si ad petendum, quærendum, & pulsandum vtiliter, non sufficeremus ex nobis,

vrge-

vrgeret nos æqualis ad eos actus, & reliquos salutares necessitas Gratiæ non contentæ intra vires Naturæ; simulque essemus destituti conditione sine qua non, ad acceptionem, inuentionem, & ad apertionem diuinæ misericordiæ, illam gratiam erogantis; vel esset admittendus processus retrogradus in infinitum actuum eiusmodi, & auxiliorum supernaturalium.

R. Actus perducentes ad aliquem finem oportet esse proportionatos fini, nec non principia actuum actibus ipsis. Actus autem intrinsecè naturales non sunt proportionati fini intrinsecè supernaturali; nec principia intrinsece purè naturalia, actibus intrinsecè supernaturalibus. Ergo actus perducentes ad finem intrinsecè supernaturalem oportet esse intrinsecè supernatarales similiterq principia actuũ supernaturalium intrinsecè. Ergo auxilia Gratiæ conducentia positiue in finem supernaturalem, necesse est omnia esse intrinsece superna uralia. Quod est fundamentũ D.Thomæ 1.2.q.109. ar. 5. & vtitur præmissis non indigentibus vlteriori probatione. Sanè positis actibus nõ proportionatis fini, nõ magis sequitur finis quã illis non positis, seu posito quouis alio, cùm disparatè se inuicem habeant, quæ sunt improportionata ex ea parte, ex qua est improportio. Nec minùs clarum est, nullũm actum excedere proportionem sui principij actiui; cum ex eo habeat totam suam perfectionem. Rursus supernaturalia ex eo talia dicuntur, quia euehuntur vltra proportionem rerum naturalium, quibus superadduntur, vt liquet ex quæstione præcedenti. Sunt igitur manifesta, quæ assumpta sunt omnia.

Confirmatur. Dispositio proxima per se requi-

requisita, & sufficiens ad finem supernaturalem, est intrinsecè supernaturalis. Siquidem inducit rationem debiti in re intrinsecè supernaturali. Ergo eadem ratione dispositio proxima ad eiusmodi dispositionem, erit intrinsecè supernaturalis; eodemque modo sub eodem argumento fit regressus per totum iustitiæ salutaris progressum, in ordine ad finem supernaturalem; supponendo, quod per se patet, nihil esse positiuè salutare, seu conducens ad finem supernaturalem vitæ æternæ, quod non sit proxima dispositio ad aliquid vlterius salutare, vsque dum deueniatur ad finem supernaturalem.

Confirmatur rursus. Auxilia & opera propria status puræ naturæ, non fuissent conducentia positiuè ad finem supernaturalem obtinendum: Quandoquidem nihil naturale, cum aliquo supernaturali connexionem habere potest vllā, nec vim aliquam aliquid eiusmodi inducendi, ac ponendi a parte rei: Auxilia autem & opera intrinsecè naturalia nequaquā sunt maioris modò valoris, quàm fuissent in statu puræ naturæ. Accedit perfectionē naturalem purè physicam non posse quidquam conferre purè positiuè; vel etiam mediatè, & remotè ad existentiam doni supernaturalis purè physici Principium autē moraliter agendi, ipsaq. moralis operatio nō aliter comparantur cum præmio, & fine supernaturali, quàm comparetur Principium purè physicum cum effectu purè physico.

Confirmatur denique. Quoniam Deus non minùs prouidet de medijs ad finem supernaturalem, quàm de medijs ad finem naturalem conducentibus; Quia potius Prouidentia supernaturalis est à toto genere præstantior; ac proinde habet effectus meliùs inuicem ordinatos. Prouidentia autem

natu-

naturalis non adhibet media extrinsecè tantum ordinata ad suum finem, aut non valentia intrinsecè illum inferre. Ergo idem à fortiori dicendum est de medijs deseruientibus ad finem supernaturalem.

Hæc omnia eò tendunt, vt ostendant omnes Auctores Catholicos conuenire debere in agnoscenda necessitate Auxiliorum Gratiæ intrinsecè supernaturalium ad omnes, & singulos actus positiuè salutares de facto, atque positiuè conducentes ad finem præfixum humanæ naturæ, quandoquidem omnes consentiunt; nec dissentire possunt, Visionem Dei immediatam, quæ de facto est vltimus finis humanæ naturæ propositus, esse supernaturalem intrinsecè, & quoad substantiam; de quo dicendum est ex professo in quæstionibus de Deo. Porrò supposito isto principio, potest multipliciter ostendi supernaturalitas intrinseca omnium auxiliorum, & actuum positiuè salutarium; quia ijdem Doctores Catholici conueniunt in agnoscendis quibusdam donis, & auxilijs Gratiæ intrinsecè supernaturalibus, propter testimonia Scripturæ aperte præseferentia eam supernaturalitatem. Sunt autem communia omnibus auxilijs, & operibus supernaturalibus eiusmodi testimonia Scripturæ. Quia prædicata, quibus vel maximè significantur dona intrinsecè supernaturalia, sunt ea, quibus dicitur aliquid superaddi humanæ naturæ, quod non sit ex ipsa; sed ex Deo, nec ex debito, sed ex Gratiâ & misericordia Dei; quod non sit opus humanum, sed diuinum; nec factum viribus sufficientiæ & conatibus nostris; sed virtute Altissimi, digito, & dextrâ Dei: Quod non obtinetur per extrinseca subsidia Creaturarum, & dependenter à sensibus; sed per internam infusio-

nem, illustrationē, & inspirationem Spiritus Sancti. Hæc autem omnia formaliter, vel æquiualēter sunt communia omnibus, & singulis auxilijs Gratiæ positiuè salutaribus, vt liquet obseruanti testimonia, quibus omnes Catholici probant necessitatem Gratiæ per Christum ad omnia, & quælibet opera, vel minima. Audiantur exempli gratia, quæ sunt magis conspicua, ac celebriora. Rom. 8. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* 2. ad Cor. 3. *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Ad Philipp. 2. *Deus est enim, qui operatur in vobis velle, & perficere pro bonâ voluntate.* Iacob. 1. *Omne datum optimum de sursum est descendens à Patre luminum.* Clarum autem est, omnem salutariter operantem, velle, & currere, ire ad Christum, habere datum optimum, cogitare, & aut velle, aut perficere, eo sensu, quo in prædictis testimonijs eæ voces vsurpantur. Ergo omnis salutariter operans habet aliquid, cui conueniunt formaliter, vel æquiualenter ea omnia prædicata, quibus donum intrinsecè supernaturale significatur in sacris literis.

Consonat his Concilium Arausicanum 2. can. præsertim 7. Vbi declarat hæretico falli spiritu, *Si quis per naturæ vigorem, bonum aliquod quod ad salutem pertinet vitæ æternæ cogitare, vt expedit, aut eligere, siue salutari idest, Euangelicæ prædicationi consentire posse confirmat absque illuminatione, & inspiratione Spiritus sancti.* Et can. 8. *Diuini est muneris, cum & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate, & iniustitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum vt operemur, operatur.* Et can. 18. *Debetur*

*merces bonis operibus fiſiant, ſed Gratia, quæ non debetur, præcedit vt fiant.* In quibus comprehenduntur, proculdubio, omnia auxilia ſalutaria indiſcriminatim, atq; ab omni opere ſalutari excluditur ſufficientia vigoris naturæ. Agnoſcuntur neceſſariæ illuminatio, & inſpiratio Spiritus ſancti; diuini muneris largitas; operatio Dei in nobis, atque nobiſcum; Gratia Dei non ita debita & connaturalis homini, ſicut debita & connaturalis eſt merces bonis operibus. Omnibus igitur & ſingulis operibus ſalutaribus, hoc eſt indiſcriminatim commune, vt ad illa perficienda ſit neceſſaria Gratia intrinſecè ſupernaturalis, eiuſdemque prorſus rationis pro minimis, atque pro maximis.

Valet plurimùm in eundem ſcopum comparatio reliquorum actuum ſalutarium, cum actibus Fidei, Spei, & Charitatis; quam in rem expendendum inter alia eſt, quod habet Concilium Trid ſeſſ.6. can.3. *Si quis dixerit ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, & adiutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Eodem autem prorſus modo, eodemque tenore verborum, ſemel, atq; iterum vtitur eadem ſeſſ c.5. & 6. de Gratia neceſſaria ad initium iuſtificationis enumerans ſingulos actus, ex quibus ea poteſt initium ducere; & cap. 10. & 11. eadem omnia definit, circa incrementum iuſtificationis, obſeruantiam Mandatorum, omniaque opera ſalutaria. Eandem loquendi vniformitatem circa virtutes Theologicas, & reliquos omnes actus ſalutares, quoad neceſſitatem Gratiæ, eiuſque conditionem, ac excellentiam retinuerat etiam Concilium Arauſicanum 2. à can 3. ad 7. Maximè verò can. 6. vbi indiſcriminatim definit,

*Fidem, credulitatis affectum, laborem, vigiliam, conatum petitionem, & cætera omnia, etiam cogitare, vt expedit, fieri non posse prout oportet, nisi per infusionem, & inspirationem Spiritus sancti.* Quare ad nullum actum salutarem negari potest necessaria Gratia intrinsecè supernaturalis; si ea est necessaria, vti certissimè necessaria est ad actus virtutum Theologicarum. Audiendus est hac de re Augustinus de dono perseu. c. 17. vbi cum statuisset Castitatem esse donum Dei, subdit immediate sic *Quod autem dixi de Castitate, hoc de Fide, hoc de Spe, de Charitate, de Perseuerantia & ne pergam per singula, hoc de omni obedientiâ, quâ obeditur Deo, veracissimè dicitur.* Enimuerò qui ad Fidem, Spem, & Charitatem agnoscunt necessariam Gratiam intrinsecè supernaturalem, vti necesse est omninò agnoscere; ad reliquos verò reputant sufficientem, quæ intrinsece naturalis sit, non hoc dicunt, quod ad necessitatem Gratiæ attinet, de qua agebat Augustinus de reliquis virtutibus, a que de Theologicis; nec eo sensu, ac modo illas dicunt dona Dei, quo istas dona Dei esse fatentur. Quare stando auctoritati, & Conciliorum, & Augustini, nullum prorsus est discrimen inter alias, atque alias Virtutes, quoad punctum præsens; nec vllum suppetit effugium negantibus vniuersalem, ac vniformem totius Gratiæ salutaris supernaturalitatem.

Superest duplex alia comparatio quę rem eandem validè firmat. Altera est cum Visione beata; Altera cum Vnione Hypostatica, vtraque instituta ab Augustino, atque in præsentem scopum expressa efficaciter. Epist namque 105. ante medium quoad Visionem. sic ait. *Ipsa vita æterna, quæ meritis præcedentibus redditur, tamen quia eadem*

*merita*

*merita, quibus redditur, non à nobis parata sunt, per nostram sufficientiam, sed nobis facta per Gratiam, etiam ipsa Gratia nuncupatur, non ob aliud, nisi quia gratis datur, nec ideò quia meritis non datur, sed quia data sunt merita, quibus datur.* Tota igitur ratio Gratiç atque adeo indebiti, & supernaturalis conueniens Visioni Dei datæ pro meritis, prouenit ex ratione Gratiæ, indebiti, & supernaturalis conuenienti meritis, & consequenter Auxilijs Gratiæ, quibus ipsa fiunt. Ergo repugnat Visionem Dei esse, vti suppositum est, supernaturalem quoad substantiam, quin fit eodem modo supernaturalis tota Gratia salutaris. Altera comparatio de Vnione hypostaticà habetur c.15.de prædest. Sanct.ad med. *Eà Gratià fit ab initio fidei homo quicumque Christianus, quà Gratia homo ille ab ab initio factus est Christus.* Et rursus ad finem capitis (Vrget enim multipliciter comparationem toto eo capite & initio sequentis) *Ille facit in hominibus Principium fidei, & perfectionem in IESV, qui fecit hominem principem fidei, & perfectorem IESVM.* Quæ, vt verificentur, & in significatione propriâ retineantur, necesse est, Gratiam salutarem nobis inhærentem esse indebitam naturæ nostræ, & eleuatam supra eius exigentiam, non secus ac indebita est, & superior existentia Christi; ac proinde vtramque esse æquè proprie supernaturalem, ac gratiosam quoad substantiam. Quomodo enim conueniunt in ratione Gratiæ suntque eadem Gratia, quorum alterum est Gratia intrinsecè, & quoad substantiam; alterum verò non nisi denominatiuè, extrinsecè, ac per accidens? Fouent istam comparationem in hoc sensu non parum, verba illa Saluatoris Ioan.6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit*

*xerit eum*. Nec enim idoneè, & satis opportunè adiuncta, & interposita fuisset Missio Tractioni, & vtraque adscriberetur Patri operanti vltra terminos potestatis naturæ; nisi vtraque esset ab eâ hominis natiuâ potestate penitùs remota intrinsecè, & per se. Eodem pertinet, quod ab Apostolo Paulo dicimur *Noua Cr. atura*; *Nouum figmentum, noua conspersio ex nouitate Christi, & cum illo, atque in illo*. Hoc enim indicat clarè, omnia quæ in nos redundant ex Christo Domino, & quibus per ipsum proficimus in salutem vitæ æternæ; atque à peccati labe, & miseriâ liberamur, participare eandem rationem doni eleuati supra exigentiam naturæ nostræ. Teneri igitur debet, vt omnino certum, omnia Auxilia conducentia positiuè in finem supernaturalem; adeoque omnia quæ de facto sunt positiuè salutaria, esse intrinsecè, & quoad substantiam supernaturalia, tùm ob rationem theologicam à priori; tùm ob multiplicem paritatem, & auctoritatem positis principijs apud omnes Catholicos indubitatis, de quorum singulis dicetur in loco; licet conclusio ex ijsdem principijs à nobis deducta, non sit in eodem certitudinis gradu constituta.

Ad 1 Negatur vllum actum vtilem positiuè esse posse ad vitam æternam, aut meritorium eius, siue de congruo, siue de condigno, cuius motiuum, & finis per ipsum intentus non sit supernaturalis; id quod præter ea quæ dicta sunt, confirmatur validè ex ijsdem illis principijs, quæ tanguntur in argumento. Nam in primis apud Lucam promittitur vita æterna obseruantiæ legis naturalis, occasione Legis periti interrogantis Christū. *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* Quod qui interrogat, ostendit se

certum

certum de fine, quem intenderet; incertum verò solùm de medijs, quibus illum apponeret. Suggeritur autem obseruantia Legis à Christo Domino aiente, *Hoc fac, & viues.* Vbi sic exponitur quid faciendum sit, vt simul intimetur motiuum, ex quo fiat. Ergo tam interrogatio, quam responsio innuunt satis, si & apertè non supponunt, motiuum obseruantiæ salutaris debere esse salutare, vitam scilicet æternam. Similiter Matth. 10. & 25. & Marc. 9. exhibetur vita æterna propter opera misericordiæ, non qualiacumque; sed quæ Christum in Paupere respexissent, vt patet ex illâ Christi causali. *Esuriui enim, & dedistis mihi manducare.* Et rursus, ex promissione mercedis non perdendæ propter potum aquæ, & propter hospitium, sitienti & aduenæ administratum, non qualitercumque, sed in nomine Christi, aut Prophetæ, aut Discipuli, aut Iusti, quæ manifestè continent motiuum supernaturale additum implicitè, aut explicitè actioni externæ in se naturali. Nec enim ita dat Pauperi subsidium, vt simul det Christo, qui voluntate dandi nullo modo respicit Christum: Nec itē respicit Christum, qui non intendit implicitè, aut explicitè placere illi. Neque hoc denique intendit, qui non intendit aliquid intrinsecè supernaturale; cum Christus in rebus purè naturalibus secundum se nullatenus contineatur. Idem dicitur de dante in nomine Christi, Prophetæ &c. Quia dare in nomine Christi, est dare propter Christum; & dare in nomine Prophetæ, est dare quia Propheta est; & sic de cæteris. Patet autem sub singulis illis vocibus significantibus motiuum operis, contineri expressè formam supernaturalem, constituentem in ratione iusti, & discipuli &c.

Neque obstat illa ibidem aut interrogatio misericordium Beatorum, *Domine quando te vidimus esurientem, & pavimus?* Aut exprobratio condemnatoria immisericordium. *Esurivi enim, & non dedistis mihi.* Cum certum sit, vt expendunt Auctores contrarij, nec admirari quemquam aut interrogare de motiuo, quod intendit ipse, & cuius proinde conscius fuit; nec condemnari, quia non retulit opera misericordiæ in Christum; sed quia illa secundum se emisit. Non inquam hæc obstant, quia illa admiratio nō est ignorantium, sed magnificantium sublimitatem præmij comparatam cum exiguitate obsequij non exhibiti immediatè physicè personæ Christi: Nempe ea admiratio, perhibetur in Euangelio communis omnibus per misericordiam Beatis, inter quos, certum est plures, etiam expressè retulisse opera in Christum, & ex eius formali amore ea præstitisse. Exprobratio autem immisericordium, licet eos non damnet, quia non retulerunt opera misericordiæ in Christum: damnat tamen, quia ea omiserunt contemptis omnibus motiuis impellentibus ad miserendum, quorum vnum, idque præcipuum est Christus.

De Concilio Tridentino vix opus est aliquid dicere, quandoquidem probatum est ex eodem Concilio, omnem Gratiam salutarem esse intrinsecè supernaturalem, & proinde proponere motiua intrinsecè supernaturalia. Talium igitur motiuorum necessitas sufficienter docetur, vbi docetur expressè, vti docetur eo loci, necessariam esse processionem actus ex Gratiâ per Christum sermo namque est de Gratiâ non accidentaliter & extrinsecè per Christum, aut indebitâ solùm ratione peccati; aut respe-

ctu indiuidui determinatè sumpti; sed de ea, quæ deriuatur a Christo in reliquis, sicut à vite in palmites, quæ est comparatio *ipsius Consilij*. Patet autem, succum deriuatum à vite in palmites, esse diuersæ rationis in se intrinsecè à succo & humore deriuabili aliunde; atque ab eo principio ex sua naturà determinatè pendere, & non per accidens tantùm.

Circa inconueniens de inutilitate & cōtemptu virtutum moralium tria obseruanda sunt documenta valde vtilia. Primum est iuxta communem & obuiam Patrum, præsertim Augustini doctrinam, plures operationes externas ex se bonas, euadere steriles in ordine ad vitam æternam, ex defectu intentionis, aut non bonæ, aut non eleuatæ in Deum, prout oportet. & propter animum intentum rerum naturalium sollicitudine, nec erectum illustratione fidei, eique obsequentem. Alterum est, homines de bono animæ ac vitæ æternæ sollicitos, vtcumque aliàs idiotæ ac rudes sint, assequi facile, ac familiariter motiuum reipsà supernaturale; idq; singulis actibus apponere, intendendo iustificationem, & vitam æternam, gloriam & prælationem Dei super omnia, prout simpliciter proponuntur per fidem, expletionem, & promotionem propositi initio iustificationis concepti, eiusdemque iustificationis, maiorem Dei erga se dilectionem; idoneam, aut magis idoneam dispositionem ad Sacramenta, & vberiora Dei Glorificatoris dona; Imitationem Christi, & Sanctorum, Euangelicam perfectionem, quæ omnia sunt formaliter supernaturalia; & alià plura similia admodum familiaria, includunt implicitè aliquid supernaturale iuxta modum, quo communiter apprehenduntur, ac intendun-

-tur à fidelibus. Tertium est, ne virtutes morales abeant penitus in contemptum, tametsi nullo motiuo supernaturali eleuētur, abundè sufficere quod illis, etiam sic exercitis, vitentur peccata, & pœnæ æternæ, reddantur minùs difficiles actus supernaturales circa eadem obiecta, pariant præmia temporalia, & æternum aliquod accidentale.

Ad 2. Duæ distinctiones præferendæ sūt: altera Gratiæ per Christum extrinsecè & per accidens, à Gratiâ per Christum intrinsecè, & per se tali: Altera operum conducentium ad beatitudinem naturalem à conducentibus ad visionem Dei immediatam. Gratia extrinsecè tantùm per Christum est, quæ licet de facto distribuatur determinatis indiuiduis, dependenter à meritis Christi; danda tamen erat absolutè secundum suam speciem infimam, nullis etiam existentibus Christi meritis. Intrinsecè autem per Christum dicitur, & est ea Gratia, cui ex se conuenit, dandam nullatenus fuisse Generi humano, si Christi merita illam non induxissent. Opera conducentia ad beatitudinem naturalem sunt propria status puræ Naturæ; Conducentia verò ad visionem Dei immediatam, quæ, & salutaria absolutè dicimus, sunt propria Naturæ Eleuatæ, siue Innocentis, siue Reparatæ. Vtraque distinctio stabilietur à quæstione 9, maximè verò 11.

Suppositâ inde pro nunc vtriusque veritate, dicitur ad Argumentum: Omnes actus elicitos auxilio Gratiæ per Christum intrinsecè, & per se tali esse salutares, non verò elicitos auxilio Gratiæ per Christum extrinsecè tantum & per accidens tali. Concilia & Patres, saltem vt plurimùm,

nomine

nomine operum bonorum, tantum intelligunt Opera conducentia ad visionem Dei immediatam, quæ est finis de facto humanæ atque Angelicæ Naturæ præfixus; atque de his recte dicitur, fieri non posse sine gratia per Christum, etiam intrinsecè, & per se tali. Vnde consequenter definiunt sub eodem sensu, nihil hominem habere de suo, & absque Gratiæ supernaturalis subsidio elicitum, nisi mendacium, & peccatum; atque eodem modo esse libertatis expertem ad bonum absque Gratia; Consideratis scilicet operationibus humanis solùm relatè ad visionem Dei, & beatitudinem supernaturalem.

Ratio sic interpretandi est. Quia è re Conciliorum, & Patrum solum erat stabilire necessitatem Gratiæ ad consecutionem vitæ æternæ; qualis de facto proposita est. Quid enim opus erat differere de sufficientia aut insufficientia humanæ Naturæ pro alijs etiam statibus, & finibus purè possibilibus, maximè dum confligeretur cum Pelagio efferente nimium liberi Arbitrij vigorem, solum in ordine ad eundem finem de facto propositum. Hunc fuisse vtriusque partis scopum, ex eo comprobatur apertè. Quia controuersiam vbique, & fere vnicè agitant sacræ paginæ testimonijs, in qua certum est nos doceri, de eo solo vltimo fine, quem Deus de facto nobis præfixit. Notum autem omnibus est, & vsu frequentissimo indubitatum, licet efferantur Propositiones ex terminis vniuersalibus conflatæ, semper nihilominus eas subintelligere contractas ac determinatas ad subiectam materiam, sic dum sermo est de Scientia Theologicà, atque de aliquo eius Profes-

fore rectè dicitur, nihil ipsum scire, neque quidquam posse dicere, aut facere absque errore, si non dirigatur, ac manu teneatur à bono Magistro; tametsi peritissimus sit rerum mathematicarum, aut documentorum ad Politicam spectantium dummodo Theologiæ sit penitùs inscius.

Nec desunt Exempla eiusmodi interpretationis, præsertim apud Augustinum; Apostolum enim dicentem; *Si tradidero Corpus meum ita vt ardeam; Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest:* Interpretatur hoc eodem modo cap. 25. de patientia. *Nihil prodest, intelligitur ad Regnum Cœlorum obtinendum non ad extremi Iudicij supplicium tolerabilius subeundum.* Sed illud est in rem præsentem appositissimum, quod habetur Lib. 1. de Prædest. Sanctor. c. 2. Cum enim prætulisset sententiam Apostoli, *Non quia idonei sumus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis,* qui est modus vniuersalissimus negandi, sic eam interpretatur, ac restringit ex contexto, & materia Epistolæ: *Quod ergo pertinet ad Religionem, atque Pietatem; de quâ loquebatur Apostolus Si non sumus idonei &c. Profectò non sumus idonei credere.* Quid ni ergo similem & nos interpretationem simili cum fundamento adhibeamus?

Accedit Augustinum eadem illa dicere, de fidei necessitate, quæ dicuntur de necessitate Gratiæ. Epist. enim 105. propius ad principium quam ad mediū. *Opera quippe bona,* ait. *fiunt ab homine: fides autem fit in homine sine qua illa à nullo fiunt homine. Omne enim quod non est ex fide peccatū est.* Certum verò est ex cōtextu sermonem esse de fide Theologicâ. Lib 1. ad Simplic. q. 2. *Statuit, non posse quemquam bene operaris, nisi per fidem perceperit Gratiam.* In præfatione

satione ad psalm. 31. longè à principio, sic infert: *nemo ergò computet bona opera sua ante fidem: Vbi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentio facit: intentionem fides dirigit. Non valde attendas, quid homo faciat, sed quid, cum facit, aspiciat.* Ad quæ testimonia, quibus alia sunt complura similia apud Augustinum, necesse est, Aduersarios supernaturalitatis intrinsecæ totius Gratiæ positiuè salutaris, adhibere, Interpretationem, quæ per nos adhibita est classibus testimoniorum per ipsos obiectis. Præterea ex postremis Augustini verbis colligitur id, in quo nunc immediatè versamur; nempe Fidem requiri ad opus quodlibet bonum bonitate salutari, ratione motiui, quod sola ipsa fides proponere potest; ac proinde motiuum actus salutaris necessariò esse supernaturale; Nempe quod est naturale, ratio naturalis proponere potest.

Ad 3. Dignitas & perfectio operantis, quæ non exercetur in opere, non potest dignificare opus; quin potius operans, quatenus infra dignitatem operatur, nec deducit in opus perfectionem actiuam, qua pollet, reprehensione magis videtur dignus quam præmio. Patet autem habentem auxilia intrinsecè supernaturalia; ac proinde vocatum, vt operetur ex motiuo supernaturali, si nihilominus eliciat actum intrinsecè naturalem, operari adæquatè infra perfectionem actiuam supernaturalē; atque contemnere motiuum supernaturale, præ naturali; & consequenter non exerceri in tali opere gratiam habitualem, quæ est radix Gratiæ actualis supernaturalis, & mediante ipsâ quatenus supernaturali influit in opus. Vnde patet paritatem ex comprincipio physico supernaturali, nihil con-

uince-

uinceret sed potius conuincere oppositum, quia si solum vniatur cum comprincipio naturali; nec illi operanti cooperetur physicè, effectus nō euadet perfectior physicō.

Ad 4. Axiomatis illius, *Facienti quod in se est, Deus non denegat Gratiam*, duplex est sensus legitimus. Alter est, Facienti quod in se est, cooperando Gratiæ, quam iam habet, Deus non denegat aliam deinde & aliam Gratiam. Alter est: Conanti quantum est in se, vt laudabiliter vtatur obiectorū, aliarūmque causarum naturalium occursibus impellentibus ad bonum morale, Deus non denegat præuenientem Gratiam supernaturalem, vi cuius conatus alioqui futuri naturales, ac inanes, euadant intrinsecè supernaturales, ac proinde salutares. Stat nimirum Deus ad ostium & pulsat, præueniens nos per Gratiam, quà illuminat omnem hominem venientem in hunc mūdum; potens & volens omnes homines saluos fieri; atque in eum finem sese inferens causarum naturalium opportunitatibus purè passiuis per Gratiæ supernaturalis auxilia, quibus conatus humani prosperentur, eliciti, prout oportet ad salutem; Quare Gratiā non est pedissequa ad opus naturale; sed præueniens, vt sit supernaturale, si per voluntatem non steterit nolentem obsequi nobiliori Dei illustrationi, ac directioni.

Id verò negandum omninò est, quod in obiectione dicitur de petitione, quæsitione, pulsatione præeunte ad omnia dona Gratiæ supernaturalis. Nempe in testimonijs obiectis, non præmittitur petitio, vti contendebant Semipelagiani, vbertati donorum Dei, vel tamquam habita ex solis viribus Naturæ; vel tanquam conditio sine qua non, ad omnia dona Dei prorsus inde-

bita,

bita, & superantia vires ac exigentiam Naturæ: Ipsa nāque petitio facta prout oportet ad salutem, superat vigorem Naturæ, & est ex Gratiâ supernaturali, vt constat ex testimonijs Arausicani & Tridentini superiùs positis. Suademur ergo vt ab Oratione, & precibus ducamus initium iustificationis, & directionis Animæ in beatitudinē supernaturalem, reliquorumque postea operum magis difficilium; quia petitio est actus, indigenti (qualis est vnusquisq; nostrum) ex se facillimus simúlque est, quod testimonia obiectionis declarant, efficacissimus apud Deum. Ad petendum igitur, quærendum, & pulsandū dat sæpè Deus Gratiam purè præuenientem, idest, quæ nullum supponat nostrum meritum respectu ipsius siuè mediatè siuè immediatè ille influat in nostros actus, de quo dicetur infra, & simul ostendetur non excludi cooperationem Gratiæ respectu alicuius operis ex eo quod homo faciat, quantum est in se, dum illud exequitur, Quinimmò numquam hominem facere quantum est in se, seu quantum potest ex se tam electiuè, quàm effectiuè, quia Gratia ipsi cooperetur. Iam processus in infinitum sistitur dante Deo Gratiam purè præuenientem ad orandum, quod dictū est.

QVÆ-

# QVÆSTIO VIII.

## Vtrum necessitas Gratiæ intrinsecè supernaturalis sit communis Naturæ Integræ cum Lapsa.

VIDETVR non esse communem, Propter quam plura D. Augustini testimonia, quibus videtur apertè negari Naturam innocentem indigere Gratià ad consequendam vitam æternam, & præstanda ea opera, quibus illa obtinetur. Docet namque 1. idque sæpe, & luculenter; Creaturam rationalem condi non posse, absque dilectione Dei, veritatis & iustitiæ, aut saltem absque perfecta sufficientià ad illa; & Deum fore iniustum, si ita condere vellet Hominem, aut Angelum. Docet 2. Nemini negari à Deo posse vitam æternam, & visionem beatam, si peccando non reddat se indignũ tantis donis; atque oppositum vel maximè incompossibile esse cum Iustitià & æquitate Dei. 3. denique docet Deum futurum fuisse iniustum, dum tot paruulos decedentes sine Baptismo, excludit à Regno Cœlorum; Si nullum esset peccatum originale vniuersaliter afficiens genus humanum. Primi generis testimonia habentur l. 2. de lib. arbitr. à c. 10 ad 20. & lib. de duab. anim. c. 3. & 4. Secundi verò, & tertij generis habentur l. 3. contra Iulian. c. 12 & l. 5. c. 12. & serm. 14 de verb. Apost. c 5. A que in his quidē locis, ea principia traduntur fusiùs, & magis ex professo; obiter autem atque

atque breuiter, sed clarissimè, in alijs præterea penè innumeris, quorum prætereà nullum necesse est transcribere seorsim, aut expendere, quia eæ phrases, ac sententiæ sunt apud Augustinum obuiæ, ipsumque vel leuiter euoluentibus prorsus indubitatæ. Nihil autem ex illis tribus videtur vllo pacto cohærere posse, cum necessitate auxiliorum Gratiæ intrinsecè supernaturalium respectu Naturæ Integræ, ideoque Innocentis. Quandoquidem vnusquisque absque his produci, & existere potest, quæ gratuitò, & purè liberaliter sibi superadduntur; eademque, tàm quoad finem, quam quoad media, eidem absque vlla iniustitia negantur; tametsi nullo peccato seu personali, seu Originali se reddiderit indignũ. Ergo Naturæ Integræ, ac Innocenti non est cõmunis cũ Naturà lapsà & peccatrice necessitas Auxiliorum supernataraliũ Gratiæ: & potuerunt Angeli, nec non Adamus ante peccatum edere opera qualibet salutaria, atque elicere dilectionem Dei, & Iustitiæ, quæ est vinculum perfectionis, ac demum obtinere vitam æternam ijs solùm viribus, & auxilijs suffulti, cum quibus eorum Natura esset ex se, & intrinsecè connexa; quæque proinde essent ipsis innegabilia, iuxta legem Naturæ ipsis secundum se ante peccatum essentialiter consertam.

R. Necessitas Auxiliorum Gratiæ proprijssimè talis asserenda omninò est communis Statui Naturæ Integræ cum lapsà; nec est vllo pacto admittendum Naturam, vel Angelicam, vel humanam, se solà, aut cum ijs solis, quæ ad ipsam secundum se necessariò, ac ineuitabiliter consequuntur, sufficere ad consecutionem vitæ æternæ consistentis in Dei visione immediatà. Id

quod

quod Argumenta producta in quæst. præced. efficaciter conuincunt, vt pote nihil assumentia, quod sit speciale, ac proprium Naturæ lapsæ; sed ea solùm, quæ sunt cõmunia Naturæ cuilibet creatæ pro quouis statu non superaddente dona Dei omninò gratuita & supernaturalia. Præterea D. August. l. 12. de Ciu. c. 9. docet ex professo, Angelos indiguisse Gratiâ Dei ad habendã bonam Voluntatem, & Charitatem. Vnde post medium capitis dicitur *Deus Simul in eis condens Naturam & largiens Gratiam.* Deinde vrget efficaciter & luculenter impotentiam primi hominis ante peccatum, nec non & Angelorum, ad faciendum quidquam boni, & perseuerandum in accepta Iustitia, absque auxilio Gratiæ; in Enchir. varijs in locis; maximè verò c. 106, & 107. & in l. de Corrept. & Grat. c. 11. & 12. Atque alibi sæpissimè. Insistit fideliter vestigijs Magistri Fulgentius, l. 2. ad Thras. Vbi cum ex ruinâ aliquorum conclusisset reliquos Angelos stetisse per Gratiam, subdit sic: *Non alia stantem Angelum à ruinâ potuit custodire, nisi illa, quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Vna in vtroque Gratia operata est &c.* Quod caput est, Concilium Arausicanum, can. 19. clarissimis verbis definit illud dogma. *Natura humana, etiamsi in illâ integritate, in quâ est condita, permaneret, nullo modo se ipsam Creatore suo non adiuuante seruaret. Vnde cũ sine Gratiâ Dei salutem non possit custodire, quam recepit, quo modo sine Gratiâ Dei poterit reparare, quod perdidit?* Ob hæc igitur & similia complura dubitare minimè licet, quin ad opera salutaria, & positiuè conducentia in vitam æternam consistentem in visione Dei, sit necessaria Gratia proprijssimè talis, Natu-

ræ non minùs Innocenti, quàm Peccatrici.

Neque verò errorem contrarium peperit ignoratio istiusmodi testimoniorum, vtpote quę nimis frequentia sint in sacris Scriptoribus, atque iam apud omnes vulgaria; sed magis in illum aliquos induxit difficultas concordiæ inter eadem testimonia, & illa alia, quæ in ratione dubitandi proposita sunt, quæq; Augustinus fusiùs prosequitur, ac sæpius, & conatu vrget vehementiore, propter rationem paulò post insinuandam. Et quidem ratio concordiæ ex eo petita, quòd Auxilia subministrata Naturæ innocenti, tametsi innegabilia prorsus sint eidem ante peccatum; sint nihilominus propriissimè Gratia, vel quia ipsa conditio & existentia naturæ rationalis, cui illa sunt deuincta, est gratiosa, atque rationi gratiæ absolutè talis non obstat debitum ex suppositione gratiosà; vel quia Gratia apud Augustinum & alios sacros Scriptores solum vsurpatur, prout opponitur meritis iuxta illud Pauli: *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum Gratiam*; Non verò prout opponitur connexioni Physicę aliorum cum alijs rebus; Cum & Augustinus dum agit contra Pelagium, solis meritis vbique Gratiam opponat: vel quia Gratia Dei dicitur, quidquid virtute naturæ fieri non potest, sed sola virtute diuinà, tametsi eidem naturæ ita debitum sit, vt negari à Deo minimè possit; atque ob hæc, posse eadem auxilia esse debita & omninò innegabilia naturæ innocenti, vt prædicant testimonia rationis dubitandi; simulque verè & propriè gratiosa, vt definiunt posteriora veræ sententiæ testimonia.

Hæc, inquam, ratio concordiæ subsistere nequaquam potest. Minimè verò omnium, quoad

quoad primum illud de gratuità creatione; quia vt notatum est quæstione prima ex Aug. Ep. 105. Gratia apud sacros Scriptores non vsurpatur pro eà, quæ continetur in dono creationis, & per illam talis denominatur; atque Augustinus orat ibidem, vt eam Gratiam intelligentiæ auertat Deus à cordibus Fidelium. Præterea Pelagius, & alij inimici veræ Gratiæ Dei, non negabant necessitatem Gratiæ. quæ ex gratuità solùm creatione talis diceretur, ac esset, quin in eiusmodi Gratiæ assertione làtebras ac defensionem sui erroris collocabant, vt distinctè refert, & totis viribus refellit Augustinus de verb. Apost. serm. 11. de peccat. mer. & rem. c. 18. l. de Nat. & Grat. per totum, & alibi. Vnde interpretatio testimoniorum de necessitate Gratiæ, recurrens ad gratuitam Creationem, non recedit à Pelagianismo, & toto cœlo recedit à constanti significatione Gratiæ, apud Concilia, & Patres.

Sed neque Interpretatio altera de Gratià prout opposità solis meritis sustineri vllo pacto potest. Quod enim Augustinus in posterioribus contra Pelagium disputationibus, solis meritis contraponat Gratiam; non inde prouenit, quod eam aut agnosceret, aut permitteret physicè debitam Naturæ, vt constat ex locis indicatis pro verà sententià; sed ex eo quod Pelagius, cum quo confligebat, eam Gratiam, quam iam admittebat, licet inconsequenter, gratuitam, solis meritis, sine verà gratià præeuntibus annectebat; vt liquet inter alia, ex cap. 14. de Grat. & lib. arb. vbi sic habetur. *Cum ergo in his conuicti fuerint, ad hoc se conuertunt, vt quocumque modo conentur ostendere Gratiam secundum merita nostra dari*. Deinde

tam

tam Concilium Arausicanum, quàm Augustinus, ijsdem locis iam exhibitis, eadem voce Gratiæ, eodemque tenore verborum significant auxilia necessaria pro statu naturæ lapsæ, & naturæ innocentis; eandemque esse rem significatam, & eandem rationem Gratię, exprimit clarè Fulgentius ibidem. Si ergo exinaniatur semel, atque ludificetur nomen Gratiæ pro statu naturæ Innocentis, excludendo quidem merita; sed non excludendo ius infrustrabile fundatum in humanæ naturæ secundum se constitutione, & dignitate, nullum supererit argumentum pro adstruendà necessitate Gratiæ omninò indebitæ in statu Naturæ lapsæ. Hæc namque necessitas solis stabilitur testimonijs, quæ nomen Gratiæ simpliciter vsurpant, eiusque sic vsurpatæ necessitatem definiunt, non aliter, ac ea testimonia, quibus ista modò interpretatio accommodatur per absurdissimam distinctionem Gratiæ debitæ, & diuinitus innegabilis, à Gratià, omnii ex capite, indebita; hoc est, Gratiæ, quæ non est Gratia, ab eà, quę est Gratia, vt opponit meritis & Gratiæ Pelagianorum Augustinus, loco nuperrimè indicato, & alibi sæpe. Nec enim minùs est debitum, quod debetur Naturę secundum se, nec est illi negabile, etiã de potentia Dei absolutà quàm quod est debitum meritis; ac proinde illa ratio debiti non minùs, sed fortè magis opponitur rationi Gratiæ, quàm ista posterior ratio debiti.

Ex his reijcitur illud etiam postremum de auxilijs debitis quidem Naturæ; sed non contentis in virtute actiuà Naturæ: Quia pro ratione Gratiæ saluandà, vel reijcienda, non consideratur, qualis sit causa cuiusque effectus, sed qualis sit possibilitas negandi, & qua-

& qualis ratio indebiti. Vnde dum statuitur Angelis, & Adamo ante peccatum, non potuisse à Deo negari dilectionem veritatis, & Iustitiæ, aut sufficientiam ad eandem, nihil refert, quod vtralibet, seu vtraque à solo Deo effici possit, si à Deo negari non potest. Qui enim dat, quod negare non potest, non facit Gratiam; tametsi nullus alius illud idem dare possit, quod non est opus pluribus confirmare.

Alia igitur concordiæ ratio communiter adhibita ab Auctoribus probatis, testimonia, quæ adducta sunt pro verà sententiâ, accipit vt sonant, pro exponendis illis alijs, ex ratione dubitandi, substruit duplicem distinctionem: Alteram auxiliorum, & actuum salutarium, ac supernaturalium, ab actibus honestis, & auxilijs purè naturalibus, nec conducentibus ad vitam æternam; Alteram debiti ex suppositione Eleuationis in finem supernaturalem à debito respectu naturæ secundum se; concludit deinde, priora illa testimonia de impossibilitate condendi humanam naturam absque dilectione Dei, aut certè absque sufficientiâ ad illam, accipienda esse, de dilectione & sufficientià naturali, ac minimè salutari; cum testimonia quæ prædicant necessitatem Gratiæ accipienda sint de auxilio, & opere salutari. Testimonia verò secundi & tertij generis, de innegabilitate vitæ æternæ respectu hominis innocentis, seu nondum peccatoris, concludit similiter intelligenda esse, ex suppositione legis, promissionisque diuinæ, de facto existentis, & eleuantis hominem ad finem supernaturalem; cum seclusa tali Lege, ac promissione, sit negabilis vita æterna, & visio Dei absque vllà iniustitià, Homini, nullum etiam habenti peccatum.

Ista concordiæ ratio est quidem legitima; sed nequit penitus quietare Intellectũ, dum non ostenditur fundamentum earum distinctionum in D. Augustino; nec non variatæ ab eodem, suppositionis, dum vniuersaliter, & sine vllà restrictione, de ijsdẽ rebus modò dicit esse innegabiles, modò dicit esse gratiosas; modò innegabiles innocenti sine iniustitiâ; modò sine iniustitia negabiles, & conferibiles solum per Gratiam. Et siquidem ex hac ipsâ tam manifestâ oppositione dictorum, rectè deducatur variatio suppositonis, quod tamen eo determinatè sensu ac modo variata sit; id verò est, de quo desideratur fundamentum speciale ex Augustino; Desideratur verò iure optimo, & est valde necessarium: Quia propositiones Augustini in vtramque partem, efferuntur sub forma vniuersalissimâ loquendi. Præterea circa distinctionem Naturæ eleuatæ à non eleuatâ, quodque, eâ supposita distinctione argumentatus sit Augustinus contra Pelagium, difficultatem ingerit non leuem. Nam si Augustinus argumentatus fuisset contra Pelagiũ supposita Eleuatione gratuita Naturæ ad finem supernaturalem constitutum in visione Dei, supposuisset vt certum ante certamen, quod apud Aduersarium, nõ vtcumque esset incertum; sed pertinacissimè omnium semper negatum. Nempe Pelagius, & Pelagiani, nihil pertinaciùs statuebant, quàm Liberum Hominis Arbitrium ex sua naturâ esse ordinatum ad vitam æternam, & Regnum Cœlorum suis meritis obtinendum independenter ab omni gratuitâ Dei promissione, atque eleuatione. Ne igitur Augustinus dicatur ineptus argumentator, videtur non esse conijciendus in eiusmodi suppositionem.

Vt

Vt igitur liquidò appareat communem illam rationem concordæ esse veram, & optimè fundatam in doctrinâ Augustini, atque necessaria consecutione inde deductam; Obseruandum est loca præcipua Augustini pro impossibilitate condendi naturam humanam, absque sufficientiâ dilectionis Dei, veritatis, atque Iustitiæ, & vitationis peccatorum, promi ex disputationibus eius contra Manichæos, ex libris scilicet de libero Arbitrio, & libro de duabus Animabus, quos constat contra hæresim Manichæorum fuisse conscriptos. Loca autem præcipua pro iniustitiâ Dei negantis Vitam æternam, seu Regnum Cœlorum homini innocenti nullumque habenti peccatum, promuntur ex disputationibus contra Pelagianos, quatenus negantes peccatum originale ab Adamo in posteros deriuatum; Ex libris scilicet illis contra Iulianum, & ex illo sermone 14. In quibus solum arguitur de hoc puncto.

Iam verò Manichæi, & Pelagiani tam inter se, quàm cum Augustino, ex diuersis licet fundamentis, in hoc vnum vtcumque asserendum vnanimi consensu conueniebant, quod vita æterna & summum bonum, quod est Deus, sit vltimus finis humanæ naturæ præfixus. Constat admisisse id Manichæos, tùm ex Libris contra ipsos modò indicatis, tùm clarissimè ex libro quarto contra Faustum Manich. cap. 2. & ex Libro contra Fortunatum 1 & 2. disp. versus finem, & prope initium; & ex omnibus ferè reliquis opusculis contra eosdem. Pelagianos idipsum admisisse tàm est notum, quàm est nota eorum hæresis, tribuens libero Arbitrio vires ex se sufficientes, & ordinatas tanquam ad vltimum suum finem ad vitam æternam,

frui-

fruitionem Dei, regnumque Cœlorum obtinendum independenter à verà Dei Gratià. Vtrique igitur inter se & cum Augustino conueniebant, quoad hoc punctum.

Sed communis dogmatis diuersum ex eo erat fundamentum, quia Manichæi alterius naturæ, siue, vt dicitur in Scholis, intrinsecè, ac essentialiter bonæ; alterius similiter malæ: ex quibus bonam dicebant particulam Deitatis; malam, particulam Ignis, & fumi; atque ex istius prædominio, & coactione manare omnia hominum mala, atque peccata, à quibus, & à permixtione animæ ex se malæ, cum purgata, ac liberata foret pars illa ex se bona; tunc verò eam ad Deum remigrare, & summi boni compotem fieri: Quæ omnia referuntur ab Augustino in libris citatis contra Manichæos; præsertim in illo contra Fortunatum 46. At Pelagiani ideò idipsum asserebant, quia liberum Hominis Arbitrium factum est à Deo ipsius Dei ita capax, vt ex sufficientia sua ordinatum sit ad eiusdem possessionem. Augustinus autem idem dogma adstruebat ex gratia & promissione Dei hominem iuuantis & ordinantis gratuitò ad eum finem. Quæ duo liquent ex locis citatis pro verà sententià, exque omnibus Augustini contra Pelagianos disputationibus, quoad necessitatem Gratiæ. Omnium enim scopus hic est, vt Augustinus probet non nisi ex Gratià Dei vitam æternam consequibilem esse ab homine, quam sine Gratia consequibilem dicebat Pelagius. Manifestum verò est finem non consequibilem absque adiutorio gratioso non nisi gratuitò proponi, & ex gratuità solùm oblatione deberi posse.

Itaque in controuersià tàm cum Manichæis de origine mali, quam cum Pelagianis

de peccato Originali, supponit iure suo Augustinus, id in quo cum vtrisque ipse conueniebat circa vltimum finem Hominis, quatenus ea suppositio erat sibi necessaria & sufficiens ad conuincendos vtrosque; simulque eodem iure præscindit ab ijs, in quibus ab vtrisque dissidebat, quatenus expressio dissensionis, & propriæ sententiæ comprobatio necessaria minimè erat ad victoriam in susceptâ controuersiâ. Quæ duo omnis Idoneus, & exactus disputator, semper & vbique obseruat diligēter. Necessarium autem erat, & sufficiens supponere vltimum finem hominis aut secundum se totum, aut secundum partem sui præcipuam, esse vitam æternam, & summi boni possessionem, siue id proueniret ex natura rei; siue ex gratuita Dei eleuatione. Erat quidem sufficiens, quia Sapiens, optimus, & omnipotens Gubernator nequit vlli innocenti, nullisque suis malis meritis impedienti, negare aut media necessaria ad suum finem consequendum, aut ipsius finis immediatam consecutionem, si media negauerit. Quod principium multis, magnisque argumentis demonstrabile est; demonstraturque luculenter ab Augustino in ijs ipsis locis, in quorum interpretatione versamur. Perstat verò æquè immobile, vt patet, siue ex naturâ rei, siue ex gratuitâ Eleuatione & promissione, sit vnicuique constitutus talis finis. Supposito igitur ex consensu Manichæorum, & Pelagianorum absque expressione rationum differentialiū non necessariarum, vti fit inter Antagonistas impigros, & mutuò peritos principiorum alterius, vltimum finem hominis esse vitam æternam, & summi boni possessionem; optimè ac insuperabiliter colligitur, tùm contra Manichæos, hominem condi non potuisse

potuisse cum permixtione Animæ naturà malæ, cogentis ad actus malos, & absque sufficientia ad dilectionem Dei, Iustitiæ & veritatis, sine quà vitari non possunt peccata auertentia ab eo fine; tùm contra Pelagianos Homini Innocenti, atque adeò paruulis decedentibus ante vsum rationis, si carerent peccato originali, negari non posse vitam æternam, regnumque Cœlorum. Ergo ea suppositio, eo quo dixi modo facta, erat vtrobique sufficiens ad intentum.

Eadem autem erat prorsus necessaria, quia vnicuique negantur absque vllà violentià & iniustæ Gubernationis labe, quæ neque sunt eius finis, neque ad eius finem vllo pacto pertinent. Quorum nimirum appetitus, neque inest per se determinatus, absolutus & efficax; neque actiuitas potentiæ ijsdem proportionata esse potest, cùm vnaquæque potentia actiua sit propter operationem; ideoque operatio non possit esse aliena à fine potentiæ, saltem omnis, aut præcipua.

Eodem modo, quo hic discursus concludit Augustinum supposuisse ordinationem hominis in vitam æternam, & adeptionem summi boni, siue naturalem, siue gratuitam; idest, cum præcisione ab vtràque istà eius finis conditione. Eodem, inquam, modo ostendi facilè potest in assertione directà aduersus Manichæos de impossibilitate condendi hominem, absque sufficientià ad dilectionem Dei, Veritatis, atque Iustitiæ, præscindere Augustinum à dilectione naturali, & supernaturali, quia ad excludendam commixtionem Animæ naturà malæ, & necessitatem coactiuam ad peccata ex ea prouenientem, tam erat idonea impossibilitas negandi homini in suà conditione dilectionem naturalem, quàm supernaturalem. Vtralibet enim

est incompossibilis essentialiter cum affectu peccaminoso auertente à Deo, & excludente eum, vt vltimum finem; ideoque & sufficientiâ plenâ atque perfectâ ad vtramlibet eiusmodi dilectionem erat essentialiter incompossibilis, cum qualibet necessitate, & commixtione cogente ad eiusmodi peccata. Erat igitur extra scopum, & rem Augustini, dum agebat contra Manichæos, vt assereret, aut probaret impossibilitatem condendi hominem absque dilectione illa bonâ determinatè, vt supernaturali. In disputationibus autem contra Pelagianos, quia agebatur de re longè diuersâ, de sufficientiâ scilicet liberi Arbitrij ad obtinendam vitam æternam propositam Homini, promissam, ac præceptam in sacris Literis: Opus iam fuit, vt loqueretur de dilectione Dei, & alijs actibus determinatè, vt salutaribus, adeoque, vt nos contendimus, supernaturalibus. Vnde etiam, cum eisdem agens, docet consequenter, nullum peccatum vitari posse absque dilectione & delectatione datâ per Spiritum sanctum, & habitâ per Gratiam. Quia agit de vitati one salutari & positiuè conducenti ad eum finem supernaturalem. Alias enim, etiam per vnum peccatum potest vitari aliud peccatum.

Satis iam ex his apparet quænam sit legitima ratio interpretandi, & inuicem componendi testimonia veræ sententiæ & rationes dubitandi. Dicendum namque est Augustinum, dum asserit impossibilitatem condendi hominem absque dilectione Dei, aut saltem absque sufficientiâ ad illam, loqui de dilectione præscindendo à naturali, & supernaturali; solumque velle deberi homini vires ad vitanda peccata, & conseruandam Innocentiam; Dum verò rursus docet, Deũ

fore

fore iniustum, si homini Innocenti; atque adeo paruulis non infectis peccato Originali negaret vitam æternam, Regnumque Cœlorum, loqui supposita ordinatione hominis ad eum finem vltimum, non eà connaturali determinatè, quæ admittebatur à Pelagianis, aut omnino gratiosà, & purè liberali; quæ ab ijsdem reijciebatur, sed vtràlibet indeterminatè; Denique dum adstruit necessitatem Gratiæ ad opera qualibet bona, loqui de opere bono conducenti positiuè ad vitam æternam consistentem in visione Dei. Quo omnia sibi facile consonant, & tolluntur omnes scrupuli moti superiùs aduersus communem Scholasticorum concordiæ rationem, omnesque rationes dubitandi initio propositæ.

Hic interpretandi modus per præcisionē à Dogmatibus & principijs non necessarijs ad dirimendam controuersiam susceptam; ideò est amplectendus fidentiùs, quia est sæpe vsurpatus ab eodem Augustino pro exponendo similiter seipso, vt videre licet in Epist.28. Ab illis verbis. *Hac tunc dixi.* Sed videndus omnino est, in re omninò simili, & partim eadem cum eà, de quà modò agitur l.1. retract.cap.9.& semel atque iterum l.de dono perseu.c.11. ab illis verbis. *Et poteram sicut feci; quodlibet horum verum esset, qua non definitè interponebam;* & c.12. ab illis; *Contra quos mea dirigebatur intentio, sic mihi visi sunt refellendi, vt siue pœna esset peccati originalis in paruulis &c.* Et iterum ab illis; *Secundum vtrumque sensum hoc defendere malui, & secundum nostrum scilicet,* &... Denique l.1. Operis imperfecti fol.37. & l.2. fol.238. & 245. vt occurreret Iuliano obijcienti suā ipsius Augustini doctrinam contra Manichæos, vti nobis obijcitur in præsenti, insti-

tuit distinctionem peccati, cuius nullum vestigium erat, vel in illa contra Manichæos disputatione; vel in posterioribus speciei tenus contrarijs aduersus Pelagianos documentis, quousque postea suæ doctrinæ inconsequentia peteretur. Non igitur mirandum est aut ægrè ferendum, si & nos, tum in re præsenti, tùm aliquoties in progressu ex imitatione eiusdem Augustini, & cum fundamẽto in scopo, & intentione eiusdem aliquas similes distinctiones inuehamus, cum necessitas postulat, & ratio consequentiæ in ipso Augustino. Quæ verò maior necessitas, quàm quæ inijcitur in præsenti per prædicata contradictoria, de re sub ijsdem vocibus contenta, qualia sunt esse innegabile, & debitũ ex iustitiâ; Atque ex aliâ parte non posse haberi nisi ex Gratiâ; ideòque & indebitum, & negabile esse? Quòd si loca præcipua, in quibus illa vtriusque generis principia tractantur ex professo, legitimà concordiæ ratione nectuntur ex dictis, vti clarissimè apparet legitimè necti. Dubitandum non est, alia similiter dicta cursim tantùm ac obiter, vbicumque tandem reperiantur, in eundem illa sensum accipienda esse.

## QVÆSTIO IX.

### Vtrum Natura Lapsa sit debilior, quàm foret Pura?

VIDETVR non esse. 1. Quia communis Theologorũ sententia est, non aliter differre Hominem lapsum, à Puro, quã spoliatum à nudo; quod perinde est, atq; vires Lapsi & Puri hominis esse easdem; solumque eas

amissas

amissas esse per peccatum, quæ per Gratiam superadditæ fuerant. Quod colligitur ex Dion.4. de diu. nom. aiente Naturalia mansisse integra post peccatum tùm in Homine, tum etiam in Dæmone. Ex quo id ipsum desumpsit D. Thom.1.p.q.95. a.1. qui præterea probat ibid.q.85 a.1. ad 1. Subiectionem appetitus respectu rationis; & huius respectu Dei, non esse Homini connaturalem, quia non permansit post peccatum.

2. Manentibus ijsdem causis manent idē effectus; sed post Hominis lapsum manerent eædem causæ, quæ forent in statu Naturæ puræ. Manent enim eædem primæ substantiæ, ex quibus mediatè vel immediatè cœtera omnia naturalia proficiscuntur necessariò; Igitur natura non est debilior post lapsum, quàm esset ante in purà Naturà.

3. Adamo retinente Innocentiam, nec eius posteri fuissent melioris conditionis quoad Naturalia, quam in pura Natura. Ergo nec sunt deterioris, quia peccauit. Patet Antecedens. Quia puræ Naturæ nihil defuisset perfectionis sibi connaturalis. Consequentiam suadet iusta æquitatis ratio constituens paria commodi, & incommodi momenta ex Innocentiâ & peccato.

4. In purà Naturà peccatum primi Hominis non emanasset in posteros, nec eis quidquam nocuisset; Ergo nec de facto emanauit quoad Naturàlia, quæ scilicet sunt vtrique statuì communia. Patet Antecedens; quia est iuxta æquitatem naturalem lex à Deo constituta, *vt filius non portet Iniquitatem Patris sui*, ex 18. Ezech. & Quia cum peccatum Patris non auferat a Filio Naturam Hominis; nec etiam potest auferre iura fundata in ipsa Naturà.

5. Paruuli decedentes cum peccato Originali fruentur iuxta communem sententiã felicitate naturali & sempiterna, perinde omninò atque fruerentur in purâ Naturâ, qui decederent absque vllo peccato. Ergo etiam adulti dum sunt in viâ, potiuntur omni bono naturali, habentq. omnem sufficiētiam, quæ adesset in statu puræ Naturæ. Patet consequentia, quia peccatum Originale non potest nocere plus in viâ, quam in termino.

6. Ea respectu cuiusque substantiæ dicuntur connaturalia, sine quibus naturaliter & citra miraculum existere non potest. Nō autem debentur ratione peccati miracula, punitiua. Omnia ergo bona connaturalia perseuerànt, non obstante peccato.

7. Eadem prorsus ratione debentur Naturæ humanæ, omnia & singula bona sibi connaturalia; hoc est omnia quæ forent in statu puræ Naturæ. Sunt autem aliqua, quæ ratione peccati amitti non potuere; nec habentur de facto per Gratiam superadditam creationi, vt videre, audire, ambulare. Ergo nulla sunt bona connaturalia negabilia ratione peccati; Aut quæ propter ipsum de facto amissa sint, & restituta per Gratiam.

8. Quæ sunt extra Hominem siue fauentia ipsi, siue nocentia, eodem modo fluūt, & peragunt cursus suos, iuxta Naturam vnumquodque suam, pro isto Naturæ lapsæ præsenti statu, quo peragerent & fluerent in statu puræ Naturæ. Quæ autem fiūnt in homine, & intra hominem, naturaliter dependent à posterioribus; varianturque necessariò iuxta eorum varietatem, & non aliter, exceptis actibus liberis. Ergo actus primus præcedens exercitium libertatis in

actu secundo est æquè bene constitutus in statu Naturæ lapsæ, ac puræ.

R. Bona vnicuique Naturalia sunt in duplici genere; Aliqua namque sunt, quæ prouenient ex determinatâ exigentiâ causarũ naturalium, & vsque adeò sunt singulis entitatibus determinatè debita, vt citra miraculum negari non possint. Eiusmodi bona sunt, ex. gr. respectu grauium, motus deorsum, respectu leuium, motus sursum. Alia verò bona sunt tantum indeterminatè debita, & prouenientia ab indeterminatâ causarum naturalium exigentiâ, vt cum eadẽ leuia & grauia nequeunt ascendere, aut descendere; possunt verò descendere; aut ascẽdere per plures lineas obliquas prorsus æquales, & æquè commodas ad ascensum, & descensum. Cuiusmodi euentus frequenter occurrunt, ex diuersis causis in motu locali, & circumuolutione assiduâ rerum naturaliũ Pertinet verò tunc determinatio ad Deum, Angelos, vel Dæmones: quia agens irrationale non potest ex se determinari, quando est constitutum inter effectus, ac terminos æquales inter se. Ad determinationem porrò motionum huiusmodi localium, consequitur sæpe longa catena commodorum & incommodorum, & diuersitatis affectionum in homine iuxta diuersitatem determinationis, & applicationis vniuscuiusque causæ, ad vnumquodq. passum. Hic est fons Gratiarũ, quas Deus facere potest, quatenus est Auctor Naturæ. Certũ nimirum est Deũ præcisè vt auctorẽ naturalẽ posse plura disponere gratiosè in fauorem alicuius, quin patret miracula. Nec enim toties à Deo miracula poscimus quoties ab ipso poscimus Sanitatẽ, Serenitatẽ, & alia eiusmodi quamplura, Nec tamen potest Deus annuere,

his precibus absque miraculis, si non habeat in potestate determinationem aliquarum causarum naturalium ex se indifferentium, vt ijs, vel illis subiectis, sic vel aliter applicentur.

Dicendum iam est Naturam Lapsam esse omninò æqualem Puræ, quoad ea omnia bona, quæ proueniunt ab exigentia Causarum Naturalium ex se omninò determinatà; Id quod efficaciter conuincunt rationes dubitandi, quæ præmissæ sunt. Cæterum quoad bona Naturalia, quæ pendent ex indeterminatà, quantum est ex se, causarum naturalium exigentia & à liberà earundem determinatione pertinente ad Deum, Natura Lapsa est deterioris conditionis, quàm foret pura; ideoque absolutè illa est debilior, quàm ista foret. Ratio est, quia dum Deus deuinxit voluntati Adami Dona Gratiæ supernaturalis, respectu Posterorū, procul dubio deuinxit eidem omnia dona gratiosè & liberaliter conferibilia ijsdē intra ordinem Naturæ. Qui enim fecit hæreditarium cumulum Gratiarum maiorū, & sublimiorum, credi rationabiliter non potest, non etiam fecisse hæreditarium dependenter ab eàdem primi Parentis voluntate, cumulum minorum, ac inferiorum Gratiarum contentarum intra ordinem Naturæ. Quapropter amissis donis Supernaturalibus ratione peccati, amissa simul sunt bona etiam naturalia, conferibilia naturaliter, sed & negabilia absque miraculo. At pro statu Naturæ purę, Deus prouidisset singulis, iuxta Naturam suam beneficam, nullo existente impedimento Vniuersali Beneficentiæ diuinæ, ratione peccati originalis, quod pro eo statu est impossibile. Contulisset ergo singulis plus minus de eiusmodi

bonis, iuxta maiorem, aut minorem cuiusque probitatem, aut improbitatem, nec denegatio eorum serperet vniuersaliter per omnes, aut pro omnibus opportunitatibus. Ob hanc igitur rationem Natura Lapsa est absolute debilior, quàm foret Pura, propter diminutionem bonorum pendentium à causis naturalibus intrinsecè indifferentibus, quantum est ex se, quàm Natura pura nequaquam pateretur; quia pro eo statu non potuisset intercedere pactum, quale de facto intercessit cum primo Homine.

Et quidem aliquam debilitatem maiorem virium inesse, quocumque demum modo id explicetur, quàm foret in Natura purà, tria quædam efficaciter persuadent. Primum est Hominem ratione peccati originalis inductum esse in Dæmonis Seruitutem, eiusque assiduè tentandi potestati, & vsui subiectum existere. Alterum est Homini lapso deesse inter alia, si non adiuuetur per Gratiam, potestatem moralem seruandi totam Legem naturalem. Tertium, sic hominem esse spoliatum gratuitis ratione peccati, vt simul vulneratus sit in naturalibus, iuxta communem intelligentiam Parabolæ, quæ habetur Luc. 10. Quæ tria Principia, nequidem ab Auctoribus rationum dubitandi negantur, nec negari vllo pacto possunt, propter obuias, & manifestas Auctoritates sacras, quibus stabilitur. Nihil autem ex illis tribus adfuisset Homini in statu Naturæ puræ, Non primum, quia nulla fuisset iusta causa subdendi Dæmoni, & eius tentationi Hominem innocentem; eiusque conditionem reddendi vsque adeò deteriorem, propter solum peccatum, & inde contractam iniquitatem alterius. Non secundum; quia, vt liquet ex quæst. 3.

Homini Innocenti debetur ex natura rei sufficientia, non solum physica; sed etiam moralis, ad seruandam totam legem naturalem, & ad obtinendum suum vltimum finem naturalem. Non tertium, quia Natura pura, non solum spolianda non foret bonis sibi connaturalibus, verùm neque vulneranda in illis vllà ex parte; cum eo ipso pura futura non foret, idest, nihil magis, nihilque minus habens, quàm ipsa ferat ex se: & spectatà beneficà conditione Creatoris sui. Negari igitur non potest, quin Natura Lapsa, sit ratione lapsus aliquatenus debilior, quàm foret pura.

Ad 1. Comparatio spoliati cum nudo congruit Naturæ Lapsæ, & Puræ; quoad bona deuincta exigentiæ determinatæ, tùm ipsius Naturæ humanæ, tum cœterarum causarum naturalium. Hæc nimirū sunt, quæ adhærent tamquam vestes permanenter, & vniformiter, cùm cœtera varientur ex naturà ipsà causarum. D. Dionysius procul dubio, est intelligendus de ijsdem solis bonis, quãdoquidem in sua assertione complectitur statũ Dæmonis, qui est status æternæ damnationis, quæ priuat omni gratioso causarum naturalium occursu, & multis proinde bonis naturaliter absolutè possibilibus; & relinquit voluntatem propè infinitè debiliorem, quam foret in statu Naturæ puræ. D. Thomas rectè infert subiectionem appetitus, & rationis non esse connaturalem, ex eo, quod amissa sit per peccatum. Quia qui existimant illam esse naturalem, putant eandem esse proprietatem necessariò consequentem ex Natura hominis secundum se, ad eum modum, quo ad eandem consequitur subiectio potentię locomotiuæ aliarùmque potentiarum exteriorum; quæ sub-

iectio

iectio nō inest homini ex causarum naturalium exigentiâ indeterminata. Nihil igitur ibi habetur aduersus debilitatem Naturæ Lapsæ fundatam in defectu bonorum pendentium ab actiuitate & exigentia causarum naturalium.

Ad 2. Manentibus ijsdem causis cum eadē determinatione & obligatione ad agendum, manent ijdem effectus: non tamen eà variatà. Ostensum autem est, applicationem, & determinationem causarum naturalium esse diuersam, minusque fauorabilē, quoad aliquos effectus pro statu Naturæ Lapsæ, quàm foret pro statu Naturæ puræ.

Ad 3. Negatur, Adamo retinente Innocentiam, non fuisse futuros melioris conditionis, tam ipsum quàm eius posteros etiam quoad Naturalia; quàm forent in purâ Naturâ. Quia in statu puræ Naturæ non fuisset initum pactum à Deo, de determinandis fauorabiliter omnibus, & singulis causis naturalibus, quoties essent ex se indifferentes ad euentus magis & minus prosperos, aut ad prosperos, & improsperos respectu hominis. Quod tamen pactum de facto intercessit, vt dictum est. Præterea Eleuatio hominis in finem supernaturalem, cum tot alijs dotibus ei annexis compensationem faceret plusquam æqualem contingentiæ amittendi aliqua bona affutura in statu puræ Naturæ. Atque hinc patet etiā ad quartum. Quia superadditis tot gratuitis, non est contra æquitatem rationis naturalis, vt filius portet iniquitatem Patris sui, quoad omnia siue naturalia, siue supernaturalia; vtpote quæ deficere possunt, manente Naturâ Hominis, nec non & ijs, quæ ad eandem Naturam omninò determinatè & necessariò consequuntur.

Ad

Ad 5. Æterna paruulorum decedentium sine Baptismo conditio & status res est valde obscura, & incerta, fatente Augustino l.5. contra Iul. c.8. se non posse definire, quæ, qualis, & quanta futura sit eorum damnatio. Cæterum eos damnari, in eadem ista confessione tanquam certissimum supponit; & meritò, propter multa Scripturæ testimonia, quæ ipse vrget varijs in locis contra Pelagianos; & ex eo Bellarminus, alijs præterea efficacibus probationibus superadditis tom.4. contr.2 l.6. c.2. Damnari, inquam, non solùm, quia carent visione Dei; sed etiam quia non consequuntur beatitudinem naturalem in suo genere perfectam, & adæquatam, collocati in loco subterraneo, seu inferno, & destituti dispositione ad cognitionem naturalem perfectam Dei, & cœterarum rerum, & puncti dolore licet admodum miti de istà suà sorte; atque de eius perennitate. Quod vt minimum, concedatur necesse est vrgentissimis, eam in rem, auctoritatibus, quas dictum est à Bellarmino cumulari. Quare ex hoc capite, vsque adeo, non subruitur maior debilitas Naturæ lapsæ viatricis, vt potiùs quàm maximè roboretur.

Neque mirũ videri cuiquam debet, quod dicitur, de sorte decedentium sine Baptismo, & sine peccato personali. Quia ius ad beatitudinem naturalem fundatum in dignitate humanæ Naturæ secundum se, non est ita absolutum, vt non sit capax exceptionis, proindeque aliquatenus conditionatum, & contingentiæ expositum, quandoquidem per se loquendo, conuenit homini ex suà Naturà, vt perueniat ad vsum rationis & libertate tunc potiatur merendi Beatitudinem, eàmque amittendi, ac inciden-

di in

di in magnam & vndequaque cumulatam miſeriam. Quare illi, qui decedit ante vſum rationis, nullo ſibi quæſito fauore ſupernaturali, rationabiliter detrahitur de beatitudine naturali, quantum intereſt contingentiæ eam commutandi cum magnâ illâ, & ſumma miſeria. Quò accedit iſtam contingentiam eſſe de facto maiorem, & proniorē in deterius, propter imbecillitatem inductā per peccatum originale, vti expoſitum eſt. Neque iniuſtum eſſe, vt exiſtenti meliore conditione primi hominis hæreditariâ reſpectu noſtri, ſi ipſe voluiſſet, quoad operationes etiam naturales, ratione doni integritatis Naturæ, & pacti initi, quoad naturalia gratuita, ſit etiam aliquatenus deterior noſtra conditio, quàm foret in purâ Naturâ, ratione peccati ab eodem primo Parente commiſſi, idemque peccatum tranſmittatur ad Poſteros, adiunctâ priuatione aliquorum bonorum abſolutè poſſibilium intra limites Naturæ tàm in viâ, quàm in Patriâ; tametſi in purâ Naturâ, nulla eiuſmodi tranſmiſſio futura fuiſſet. Quia videlicet dependenter ab Innocentiæ conſeruatione habituri ſimiliter eramus virium, bonorumque naturalium feliciorem vtrobique ſtatum.

Ad 5. Iam dictum eſt aliqua eſſe bona naturaliter poſſibilia, quibus priuari quiſque poſſit abſque miraculo; quare punitio peccati per priuationem aliquorum bonorū connaturalium, non eſt ex ſuo conceptu miraculoſa: ſed talis, vt citra omne miraculum poſſit induci per peccatum.

Ad 7. Iam conſtitit, non eadem prorſus ratione deberi Naturæ humanæ omnia & ſingula bona ſibi conferibilia naturaliter; ſed aliqua eſſe, quibus citra miraculum de-

deſtitui non poteſt; alia, quibus poteſt citra miraculum priuari. Atque hæc poſteriora poſſe negari ratione peccati non ſolùm perſonalis; ſed etiam Originalis.

Ad 8. Dicitur ſimiliter. Quæ ſunt extra Hominem, ſiue fauentia ipſi, ſiue nocentia, eodem modo neceſſariò fluere ſemper, quoad aliquos effectus; non verò quoad omnes; & inductà varietate quoad iſtos ratione peccati, poſſe inde ſubſequi intra ipſum Hominē variationem debilioris diſpoſitionis ad bonum. Deinde intra ipſum hominem eſt tantus, & tam aſſiduus fluxus, & refluxus humorum, & ſpirituum vitalium gerentium in ſe phantaſmata, commotiua appetitus ſenſitiui, & inde rationis, vt facilè, & frequenter eueniant indeterminationes illæ ſuperiùs deſcriptæ motionum localium verſus hanc, vel illam partem: ex determinatione quarum factà à Dæmone, per poteſtatem, quam habet ad tentandum ratione peccati, poteſt multipliciter induci debilitas non parua in voluntate reſpectu boni honeſti.

QVÆ-

# QVÆSTIO X.

## Vtrum repugnet Status Naturæ puræ, quoad Concupiſcentiam non Subiectam Rationi?

VIDETVR repugnare. 1. Quia laudabile eſt repugnare Concupiſcentiæ; non eſt autem laudabile, reſiſtere, bono & motionibus à Deo datis. Ergo Concupiſcentia, & eius motus non ſunt à Deo; Sed proueniunt ex peccato. Ergo repugnat, vt inſine Naturæ puræ, & nondum maculatæ peccato.

2. Pudicitia eſt bona, eademque eſt contraria concupiſcentiæ, & data Homini, vt pugnet cum illa. Bonum autem non eſt contrarium bono, nec Deus dat aliqua ſua dona, vt pugnemus cum alijs ſuis donis; ſed ex ſolo peccato eſſe poteſt pugna aduerſus dóna Dei. Ergo repugnat vt Concupiſcentia inſit ante peccatum.

3. Concupiſcentia eſt materia pudoris, & erubeſcentiæ, vt patet ex ſubuentione, foliorum à primis hominibus quæſita. Quæ autem bona ſunt, & exiſtunt auctore Deo, non poſſunt eſſe materia erubeſcentiæ; ſed ſolum peccatum; & quæ à peccato procedunt, talis materia eſſe poſſunt.

4. Motus Concupiſcentiæ ſunt deſideria peccatorum. Deſideria autem peccatorũ, & id vnde ipſa neceſſariò proueniunt, ſunt mala, nec habent Auctorem Deum, tametſi illis reſiſtatur; Ergo ſolum ab homine peccante prouenire poſſunt.

5. Con-

5. Contra Naturalem, & iustum rerum ordinem est, vt pars inferior non subsit superiori, hoc est, Concupiscentia rationi rectæ, idque ad nutum, quod solum præstare potest donum integritatis, auferens essentialiter puritatem Naturæ quoad Concupiscentiam non subiectam rationi. Malũ autem est, quod est contra rectum ordinem rerum, nec potest Auctorem habere Deum, qui non nisi ordinatissimè facere quidquam potest.

Adde omnia quæ in istis quinque Argumentis assumuntur, frequenter & expressè doceri ab Augustino, & luculenter comprobari l. 4. 5. & 6. contra Iulianum, l. 1. & 2. Operis imperfecti. Libris duob. de peccato Originali, & totidem alijs de Nuptijs, & Concup. & alibi, vt necesse minimè sit loca singula notare. Ex quibus locis arguitur præterea,

6. Quia Augustinus probat in illis existentiam peccati Originalis ex propagatione cõcupiscentiæ ab Adamo in omnes eius Posteros. Quarè admissa possibilitate Cõcupiscentiæ, & motuum eius in homine Innocenti, euanescit præcipua, & fere vnica peccati originalis probatio apud Augustinũ, qui scilicet semper opponit aduersus Pelagianos negãtes peccatum Originale tot & tam magna mala, quæ modò recensita sunt Concupiscentiæ connexa, non nisi à peccatrice voluntate induci potuisse.

7. Repugnat Hominem condi absque subiectione rationis ad Deum. Siquidem repugnat eundem condi absque dilectione Dei, veritatis, & Iustitiæ vt liquet ex testimonijs adductis quæst. 8. in ratione dubitandi. Quæ dilectio continet in se subiectionem rationis ad Deum; Subiectio autem

rationis ad Deum est causa subiectionis Concupiscentiæ ad rationem, vt docet ex eod. Augustino D. Th. 1. p. q. 95. a. 1. Ergo repugnat hominem condi absque subiectione appetitus ad rationem.

R. Status puræ Naturæ in conceptu suo adæquato includit duo. Primum, defectum ordinationis ad vltimum finem supernaturalem constitutū in visione Dei immediatâ; & consequenter defectum donorum omnium supernaturalium, quibus Homo perducitur in eum finem. Deinde includit defectum subordinationis perfectæ in appetitu inferiori, seu Concupiscentia respectu rationis. Examen possibilitatis condendi hominem absque ordinatione ad visionem Dei immediatam, iam iterum reiectum est ad quæstiones de Deo, vt ad proprium locum, & Argumenta aduersus eam possibilitatem sunt faciliora solutu, quàm quæ proposita sunt aduersus possibilitatem condendi hominem absque subiectione Concupiscentiæ ad rationem. Hæc enim argumenta sunt apparentiæ maioris; sed soliditatem nihilominus nec ipsa vllam habent. *Manifestum namque est*, vt dicit D. Th. loco nuper citato, *quod subiectio Corporis ad Animam, & Inferiorum Virium ad Rationem, nō erat naturalis. Alioquin post peccatum mansisset: cum etiam in Dæmonibus data naturalia post peccatum permanserint, vt Dionysius dicit 4. c de diu. nom.* Nempe si necesse fuisset hominem condi cum subiectione Appetitus & Concupiscētiæ ad Rationem, necesse vtique id fuisset necessitate fundatâ in natiuâ conditione, & exigentiâ intrinsecè determinatâ Rationis superioris, & Concupiscentiæ, & appetitus inferioris. Dictum verò est, quæst. præced. quæ tali necessitate conserta sunt

vnius

vniuscuiusque Naturæ, non amitti per peccatum. Cum igitur experientia constet, & ex multis locis scripturæ, eiusmodi subiectionem amissam esse per peccatum, clarè concluditur, talem subiectionem non esse Homini debitam ex Natura rei; sed gratuitam, & supernaturalem. Atque adeò creari illum, atque conseruari potuisse absque eo dono subiectionis Concupiscentiæ. Confirmatur, quia Homo suæ Naturæ relictus bona æterna impellentia ad operationes honestas cognoscit valde imperfectè, tamquam absentia, & per species alienas repræsentata; bona verò delectabilia, & temporalia stimulantia Concupiscentiam, cognoscit immediatè, & perfectè per species proprias tanquam præsentia, & præsenti protinùs vsui accomodata. Quare ratio superior nisi adiuuetur à Deo per supernaturale aliquod Adiutorium non potest sibi perfectè subijcere Concupiscentiam, nec facere, vt non præueniatur per eius motus, & assultus ante deliberationem, atque consultationem circa eligenda; Nèue per tales motus pertinaciter vexetur inuita; in quo consistit Concupiscentiam esse solutam, nec obedientem rationi, sicut obediens, & subiecta fuit de facto ante peccatum ratione doni supernaturalis gratiosè superadditi, quod communiter dicitur donum Integritatis. Et ob eius collationem dicitur Ecclesiastici 7. Deus, *fecisse Hominem rectum*. Vt interpretatur D. Thomas cum Augustino, & alijs Sanctis Patribus communiter. Pertinet nimirum ad rectitudinem hominis, vt ratio superior perfectè dominetur potentijs omnibus inferioribus; sicut pertinet ad oppsitā decliuitatem, quòd Appetitus inferior possit impetu suo præoccupare Rationem,

cam-

eamque pertrahere, ac diuertere ad considerationem bonorũ temporalium, atque ad eadem inclinare appetitione sensuali.

Nec tamen, propter vim eiusmodi concessam Concupiscentiæ aduersus Rationem ante peccatum, dici posset Deus iniustè agere. Quia vt dicit Augustin. c.11.de dono perseu; *Quamuis Ignorantia & difficultas* (loquitur de difficultate orta ex Cõcupiscentiâ) *etiamsi essent Hominis primordia naturalia, nec sic culpandus Deus, sed laudandus esset.* Quod ipsum docet l. 3. de Lib.arb.c.20.& lib.1. retract.c.9, & alibi nõ semel. Interpretatio porrò, quam tàm claro testimonio adhibere nonnulli tentant, euanescet ex dicendis ad quintum. Interim cõsiderandum est, sicut Deus fecit plerasque res corporeas corruptioni subiectas, ita etiam substantias rationales fecisse peccandi periculo expositas, & corruptibiles moraliter, neutris inuidens bonum oppositum; sed in vtrisq. permittens eas imperfectiones, quæ necessariò insunt limitatæ ipsarũ bonitati ac perfectioni quàm vel sic, melius fuit illis cõmunicare, quã nihil illis donare. Quia capaces non erant, vt plenitudinẽ totius bonitatis ipsis refunderet: Non enim propterea pars bonitatis negãda fuit, quia tota, & pura bonitas tribui non poterat. Igitur laudandus esset Deus, vt dicit Augustinus, tametsi Hominem creasset absque perfectâ Concupiscentiæ subiectione, respectu rationis superioris. Quia quod hæc posset illi nihilominus resistere, quoad actus efficaces ac deliberatos, hoc esset ei à Deo; quòd verò vexaretur motibus Concupiscentiæ, & inde versaretur in magno peccãdi periculo, hoc ei inesset ex se, & non formaliter quatenus esset ex Deo Auctore suo; sed quatenus es-

set ex nihilo sui, vt frequenter docet Augustinus in libris omnibus contra Manichæos. Quare imperfectio propria Concupiscentiæ solutæ non esset donum Dei; sed defectus vlterioris bonitatis necessariò consequens ad bonitatem donorum Dei essentialiter limitatam, & impeditiuam vlterioris progressus suæ entitatis in bonitate, & perfectione entitatiua, ac secum indentificatâ. Quæ ratio manifestat, perperam quæri Auctorem defectuum, & imperfectionum, quæ necessariò insunt rebus creatis. Nullum siquidem Auctorem, nullamque causam habent propriè talem; sicut nullum habent esse propriè tale, quod est terminus formalis adæquatus Auctoris, & causæ propriè talis. Sicut enim in re, quæ imperfecta est, imperfectio non est continuatiua eius actualitatis, & esse, quod illi conuenit; sed potius est impeditiua, seu ipsa impeditio formalis, quo minus eadem actualitas & esse, vlterius progrediatur, & in maiorem assurgat cumulum actualitatis, & bonitatis; ita Auctor & causa rei limitatæ, non dat limitationem ipsam, & imperfectionem causando vltra causalitatem, quam exercet circa actualitatem, & bonitatem eius; sed potius nihil vlterius causando. Igitur imperfectio Concupiscentiæ solutæ, seu non perfectè subiectæ rationi, tametsi Homini ab Initio suæ Creationis ante peccatum agnata fuisset, non fuisset adscribenda Deo, tanquam Auctori & causę; sed limitationi Humanæ Naturę, & participio nihileitatis, sibi relictis, nec per donum supernaturale, ac prorsus indebitum in meliorem conditionē promotis; Eodē prorsus modo, quo Angelorum, aliarumque quarumlibet substantiarum creatarū peccabilitas inest ex se, Deo tantū nega-

negãte donum supernaturale, ac prorsus indebitum, quo eas reddat impeccabiles.

Habuisset nihilominus Concupiscentia soluta ante peccatum associata Naturæ humanæ, vnde differret à dissolutione Concupiscentiæ, quæ inest de facto naturæ lapsæ in peccatum. Differret namque primò per extrinsecam denominationem pœnæ, & rebellionis. Cùm enim de facto collata à Deo fuerit subiectio Concupiscentiæ; eaque proinde præextiterit subiecta ante peccatum, habet rationem pœnæ eius dissolutio, quatenus donum supernaturale, quo continebatur, in pœnam peccati sublatum est, & dicitur meritò rebellio, vis resistendi & aggrediendi contraria priori subiectioni. Differret rursus intrinsecè, quatenus Concupiscentia post peccatum, ita est soluta, vt regnet in carne peccati, hoc est, obtineat prædominium aduersus rationem, præponderante eius inclinatione in malum, atque in perniciem & damnationem Hominis, inclinationi rationis superioris in bonum honestum, atque in salutem & vltimam felicitatem eiusdem hominis. Quod tantum & tam grande malum occupationis Regni per partem inferiorem aduersus partem superiorem nequaquam adfuisset in statu puræ naturæ. Cuius discriminis ratio à posteriori est, quia post peccatum vsque adeò opprimitur ratio à concupiscentiâ, vt reddatur moraliter impossibilis obseruantia totius legis naturalis, vitatio omnium peccatorum lethalium, & victoria grauissimarum tentationum; absque supernaturali Gratiâ Dei, vt infra dicetur. Cum tamen Natura pura vires habitura foret, non solum physicè, sed etiam moraliter ad ea omnia præstanda; Quia per se, & independenter

à pec-

à peccato debetur naturæ cuiuis rationali potestas, non solum physica, sed etiam moralis ad obtinendum vltimum suum finem sibi connaturalem, vt liquet ex dictis quæst. 3. Ratio verò à priori deducitur ex dictis quæst. præced. Quia nimirum natura humana ratione peccati destituitur fauorabili determinatione causarum secundarum ex se indifferentium ad euentus magis aut minus fauentes, aut nocentes bonæ inclinationi, bonisq; cogitationibus generabilibus depédenter ab illis, & subditur potestati Dæmonis ad tentandum per inflexionem ac determinationem aduersam earumdem causarum, necnon humorum, & spirituum vitalium, atque imaginum phantasiæ, quorum neutrū futurum fuisset in statu puræ naturæ. Concluditur ergo non repugnare statum Naturæ puræ quoad Concupiscentiam non subiectam rationi, eo modo quo subiecta de facto fuit ante peccatum per donum Integritatis, Esto tamen vim habitura non foret, aduersus rationem, quantam habet post peccatum originale.

Ad 1. Laudabile est resistere concupiscentiæ, quoad eos motus. & inclinationes, quibus ea discordat à motione, & inclinatione boni honesti, & rectæ rationis, quod perinde est atque resistere malitiæ, & imperfectioni Concupiscentiæ. Hinc autem nullatenus sequitur, laudabile esse resistere donis Dei, quatenus Dei dona sunt; sed quoad aliquam imperfectionem, quæ ipsis inest ex suà naturà, & quatenus ex nihilo sunt. Quod Genus resistentiæ respectu aliquarum, imperfectionum, quæ insunt donis Dei, per alia dona Dei, vsq; adeo non est absurdum, vt à nemine, absque maximo absurdo, negari possit, quamlibet substantiam peccabilem habere

habere aliquam inclinationem innatam, dono Dei ante peccatum, cuius inclinationi imperfectioni laudabiliter resistat, & non nisi cum vituperio, conformari ac cedere possit. Tam enim repugnat esse peccabilem, cui nulla inest inclinatio præuia ad peccandum, seu ad faciendum id quod sine peccato fieri non potest, quàm repugnat esse eligibile, quod nulla vi mouet, atque inclinat ad sui electionem. Laudabile verò est resistere inclinationi, ac motioni ad peccandum.

Ad 2. Dicitur similiter tam pudicitiam, quam cœteras omnes virtutes esse dona Dei data homini, vt pugnet non quidem cum alijs donis Dei; bene tamen cum imperfectionibus aliorum Dei donorum; atque Naturam peccabilem talem esse, vt dum peccabilis proximè est, tametsi Innocens sit, sine pugnâ operari non possit. Nullum autem est absurdum aliqua Dei dona, quà limitata sunt, habere in se imperfectiones, quibus nobiliora alia Dei dona resistant: sicut non est absurdum, vt qualitates physicæ datæ à Deo Elementis & mixtis inuicem pugnent, & valentiora minùs valentibus præualeant. Hoc scilicet commune est omnibus creaturis tàm rationalibus, quàm irrationalibus, vt habeant aliquas imperfectiones, quibus resistere possint alia nobiliora dona Dei; Quin tamen vlla Dei dona quatenus eius dona sunt, eumque habent Auctorem suum, vllà possint inter se contrarietate pugnare. Quod etiam Concupiscentiæ suo modo conuenit, vti mox clariùs explicabitur.

Ad 3. Quælibet imperfectio est materia aliqualis erubescentiæ latè sumptæ, idest Cõfusionis, aut humiliationis, eique subsunt

omnes operationes, & motus corporales non subiacentes, libero ac despotico voluntatis imperio, & eò magis, quò minus ei subiacent. Quia earum imperfectio deprimit immediatè apicem humanæ dignitatis; & quia istiusmodi seruitus vexat animam ad tempus, infra decorum sibi postea connaturale, per totam æternitatem in statu separationis. Præter hoc autem quod est commune alijs imperfectionibus, id habet speciale concupiscentia, vt sit materia erubescentiæ propriè dictæ, quatenus inducit periculum peccandi. *Erubescentia enim*, vt definit D. Thom. 1.2. q.41. art.4. *est timor lædendi opinionem ex turpitudine in actu committendo; sicut verecundia in commisso*. Verum ex hoc capite non magis negari potest possibilitas Concupiscentiæ solutæ ante omne peccatum, quam possibilitas proximæ peccabilitatis, vtcumque constitutæ. Quia qualibet proxima peccabilitas fundat eiusmodi timorem, ac proinde erubescentiam, quam tamen non fundant vlla Dei dona; ac proinde neque Concupiscentia, ratione bonitatis, & entitatis suæ positiuæ, seu quatenus sunt dona Dei; sed ratione imperfectionis, vel connaturalis sibi vel essentialis. Et quia talis imperfectio præeminet in concupiscentia; atque illi potissimum significandæ deseruit ista vox ex communi vsu, propterea Concupiscentia concipitur, vt præcipua erubescendi materia, & quasi eum solum affectum terminare potens. Denique ea solutio Concupiscentiæ, vltra erubescentiam communem statui puræ naturæ, alijsque imperfectionibus ex confessione omnium communibus homini nondum beato, pro quouis alio statu, vti iam innotuit clarè; fundat præterea de facto maiorem Erubescentiam

ſcentiam ſimul cum verecundia; quatenus prouenit ex peccato à primis hominibus commiſſo, eiuſque turpitudini atteſtatur, & inducit in maius periculum vlterius peccandi, quorum alterum illi nequaquam conueniret in ſtatu puræ naturæ: Alterum verò conueniret minus, vt dictum eſt.

Ad 4. Deſiderium, vt plurimum, vſurpatur pro actu deliberato & efficaci de bono futuro, atque hoc pacto, motus Concupiſcentiæ præuenientes rationem dici non poſſunt deſideria peccandi. Quia ſunt indeliberati, & inefficaces. Cæterum deſiderio latè ſumpto, pro ſimplici complacentiâ terminata ad bonum abſens, à nemine negari poteſt ſubſtantiæ Innocenti quidem; ſed potenti proximè peccare, ac amittere Innocentiam, ineſſe ante peccatum deſideria peccatorum. Quia ante electionem efficacem obiecti turpis, neceſſariò antecedit ſimplex complacentia, vti & cognitio aliqua inclinans ad illud. Verùm inclinatio iſta defectuoſa, ſeu vocetur deſiderium nō prouenit ex Deo, nec ex defectu iuſtitię in Deo, quà defectuoſa eſt, ſed ex nihilo & ex perfectione Creaturæ eſſentialiter limitata, permittente id Deo, ſeu non impediente. Quia melius eſt homini & Angelo exiſtere cum eo defectu, quàm ſimpliciter non exiſtere: Nequit ergo ex eo capite repugnare homini Innocenti Concupiſcentia non ſubiecta rationi.

Ad 5. Non eſt contra rectum rerum ordinem, vt inferiora non ſubſint Superioribus, quoad omnes omninò motus, & actiones. Nam neque in ſtatu Naturæ integræ, ſubeſſent libero voluntatis, & rationis imperio, Grauitatio Corporis; tranſpiratio, reſpiratio, & ſimiles actiones. Solum ergo

est contra rectum ordinem, vt inferiora non subsint superioribus, sicut Manichæi contendebant, quoad actiones impeditiuas vltimi finis, aliarumque actionum, quæ sunt necessariæ ad consequendum vltimum finē. Motus autem Concupiscentiæ subessent imperio rationis, & voluntatis in statu puræ Naturæ quoad eiusmodi actiones. Quia posset illis resistere voluntas, & non erumpere in electiones deliberatas, ad quas ijdem inclinarent contra dictamen rectæ rationis. Obsequi verò ijsdem solùm quoad honestam generis humani propagationem, cuius, à non honestà, discretio non cadit in appetitum inferiorem, ideoque ipsi dari non potuit vis inclinandi pro circumstantijs honestæ executionis, quin vexaret eadem inclinatione, in contrarijs etiam circumstantijs; ac proinde quin indirectè impelleret ad peccandum.

Ex his responsionibus patet quo sensu accipienda sint documenta Augustini, quæ indicantur in patrocinium obiectionum. Augustinus enim loquitur circa Concupiscentiam, prout de facto est pœna peccati, & prout regnat in carne peccati cum præponderantia aduersus vim & inclinationem rationis superioris, prout expositum est suprà. Quare nihil inde conuincitur aduersus Concupiscentiam, qualis futura fuisset in statu Naturæ puræ.

Iam ad 6. Quoad probationem peccati Originalis ex propagatione Concupiscentiæ ab Adamo in omnes eius posteros, duo sunt obseruanda. Alterum est, Augustinum semper supponere, tanquam fundamentum, ac basim eius probationis, testimonium illud Ecclesiast. 7. *Solummodò hoc inueni, quod fecerit Hominem rectum*. Quod admittebant quidem

dem Pelagiani, sed interpretabantur sinistrè contra mentem Patrum, & totius Ecclesiæ, intelligentium nomine rectitudinis, exclusionem eius decliuitatis in malum, quam inducit Concupiscentia, vt nunc est soluta. Quo supposito, prout supponit vbique Augustinus, vel dictato expressè, vel sub verbis æquiualentibus subintellecto, illo, aut simili alio testimonio, quod facilè quisque deprehendet ex lectione Augustini ijsdem in locis, qui citari & ponderari solent aduersus sententiam, quam defendimus, euidentissimum euadit argumentum inferens peccatum Originale ex Concupiscentiâ, vt nunc est, quatenus dona Dei sunt sine pœnitentiâ, nec ea semel data subtrahit nisi in pœnam peccatorum.

Hanc esse mentem, & illationem Augustini constat inter alia clarè ex cap. illo 9. l. 1. retract. Cum enim illā hypotheticā propositionem pronuntiasset. *Quamuis Ignorantia & Difficultas etiamsi essent*.. Immediatè subijcit: *Quæ disputatio contra Manichæos habenda est, qui non accipiunt Scripturas sanctas veteris Instrumenti*: Quasi diceret. Ideò contra illos peccatum Originale conuinci non potest, & necesse est concedere per modum hypothesis, Ignorantiam & difficultatem, hoc est, Concupiscentiam, fuisse de facto hominis primordia naturalia. *Contra Pelagianos autem, hoc defendendum est* (subdit ibidem) *quod vtraque Scriptura commendat*, atque adeò dari peccatum Originale, eiusdemque pœnam esse de facto Ignorantiam & Difficultatem, quæ sine iniustitiâ & vituperio Dei potuerunt absolutè esse primordia Hominis naturalia. Fundantur enim in aliquâ bonitate, ratione cuius possunt esse proprietates Homini connaturales,

& continent formaliter aliquam imperfectionem, ratione cuius possint esse pœna peccati respectu Hominis antecedenter eleuati vltra dignitatem suæ naturæ.

Secundo loco obseruandum maximè est Augustinum non concludere peccatum Originale ex concupiscentia, vtcumque non subiecta rationi; sed ex Concupiscentià qualis de facto existit regnans in carne peccati, & habens vim Legislatiuam, qua inducit aliam Legem in membris hominis: qualem concupiscentiam non futuram esse in statu puræ naturæ, tametsi subiecta rationi omninò non foret, sicut de facto fuit ante peccatum, ostensum iam est superiori nostro discursu in resolutione quæstionis.

Ad 7. Iam fusè expositum fuit, quæst. præced. Dilectionem Dei seu potius sufficientiam ad Deū diligendum, de qua loquitur Augustinus; dum dicit eam esse innegabilem naturæ innocenti, non esse supernaturalem, & vndequaque perfectam, quæ sola continet in se perfectam subiectionem rationis ad Deum; sed naturalem & imperfectam. Quare nihil concludi potest ex illis locis pro re præsenti in fauorem obijcientis. Ista distinctio naturalium, & supernaturalium operationum, illustrabitur adhuc vlterius quæstione seq.

QVÆ-

# QVÆSTIO XI.

## Vtrum in statu Naturæ lapsæ possint elici aliqui actus morales boni, absque auxilio Gratiæ per Christum?

VIDETVR non posse. 1. Quia Liberum arbitrium est indifferens ad plures operationes, & ad plures causarū exteriorum occursus, ex quibus diuersæ cogitationes sub oriri possunt, aliæ efficaces, aliæ inefficaces. Nequit autem istam suam indifferentiam per seipsum determinare, nec eligere, ac sibi prouidere occursum causarū, à quibus proueniunt cogitationes congruæ, potius quam incongruæ; cum neque præscius sit homo euentuum sub vnaquaque futurorum, atque vt esset præscius, non posset electione suà præuenire causas ipsius electionis. Ergo ad Gratiam Dei spectat solam, vt vnicuique prouideat eas potissimùm causas, ex quibus tandem proueniat operatio bona; & cohibeat causas, ex quibus proueniret omissio, vel operatio mala contraria, ac proinde nunquam quisquam potest vllum actum honestum elicere, absque interuentu gratiosæ potentiæ Dei. Huc respexit Aug. quæst. 2. ad Simpl. dum dixit. *Quis animo complectitur aliquid, quod eum non delectet? Aut quis habet potestatem, vt vel occurrat id, quod eum delectare possit; vel delectet cum occurrerit? Cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc, & probetur Gratiâ Dei, non nutu nostro, & industriâ, nec operum meri-*

*tis comparatur*. Et rursus: *Voluntas nisi aliquid occurrerit, quod delectet, atque inuitet Animum, moueri nullo modo potest, hoc autem vt occurrat, non est in hominis potestate*. Quo eodem argumento vtuntur eandem in rem Anselm. de Concord. Grat. & lib. arbit. Et D. Thom. 1. 2. q. 109. a. 2. & q. 24. de Verit. a. 14. Patet autem hoc argumentum eodem modo, & æquali vi, complecti omne genus operum bonorum, siue naturalia, siue supernaturalia sint; siue parua, siue magna. Nullum igitur prorsus opus bonum fieri potest absq; Gratiâ Dei per Christum; eaque Gratia, quam Augustinus contra Pelagium defendit. Nempe agens contra ipsum hoc argumento vtitur, tùm loc. cit. tùm alibi sæpe.

2. Ex eo quod petimus à Deo, vt conuertat nos ad se; vt det nobis Fidem, perseuerantiam, & similia; concludit Augustinus, & quidem frequentissimè ac confidentissimè aduersus Pelagium, ad Gratiam Dei id pertinere, nec sine Gratiâ Dei haberi posse. Quia vt dicit Epist. 90. *Ipsa Oratio clarissima est Gratiæ testificatio*. Patet autem cogitationem congruam etiam naturalem, ad quodlibet opus bonum, etiam morale, etiam facillimum, esse idoneam materiam Orationis. Quandoquidem est conferibilis & negabilis à Deo, cui & quando vult, vt liquet ex dictis quæst. 2.

3. Ad veram Dei Gratiam spectat quodlibet bonum nostrum, de quo iam habito speciales ipsi Gratias agere tenemur, distinctas à gratiarum actione debitâ ob beneficium Creationis. Quod itidem principium est frequentissimum Augustino aduersus Pelagium, vt cap. 19. de Prædest. Sanct. & Epist. 107. longè ante medium. Manifestum autem

est,

est, teneri vnumquemque bene operantem ad specialem eiusmodi Gratiarum actionem, pro suo bono opere, & congruitate cogitationis ad illud. Ergo quodlibet bonum opus, cuiuscumque conditionis sit, spectat ad veram Dei Gratiam, nec haberi potest sine verà Gratiâ Dei.

4. Nihil notius est apud Augustinum, vt liquet præsertim ex lib. de dono perseuerãt. quàm Perseuerantiam finalem in acceptâ iustitiâ esse donum Gratiæ Dei, & nemini contingere posse absque speciali & verissimâ Gratiâ per Christum, quod est etiam ex fide, vt dicetur in loco. Posset autem contingere sine verâ Gratiâ per Christum, si posset absque eadem fieri aliquod bonum opus morale. Quia per quoduis bonum opus morale, potest in aliqua circumstantiâ vitari peccatum, quod si cõmitteretur, tolleret perseuerantiam finalem in Gratiâ. Cõtingere enim potest hominem mori non occurrente occasione in illâ vltimâ periodo, nisi operis moralis facillimi & vnici, quo directè, vel indirectè impediatur peccatum. Ergo nullum bonum opus morale, etiam facillimum, fieri potest sine vera Gratiâ per Christum.

5. Esto Natura lapsa habeat sufficientiã antecedentem ad opera bona moralia, saltem ea quæ sunt intrinsecè & extirnsecè facilia; Cæterum nullus est eiusmodi actus, ad quem non sit necessaria Gratia necessitate consequenti, quatenus cogitatio congrua est ita necessaria ad quoduis opus bonum, vt repugnet illud absque ipsâ executioni mandari, & tamen negari illa à Deo potest, quandocumque, & cuicumque libuerit; Siquidem potest vnumquemque constituere pro libito vel in his circumstan-

tijs, in quibus reipsa est operaturus bene; vel in ijs, in quibus reipsà est peccaturus: Atque ideò est Gratia specialis, absolutè distincta à dono Creationis, vt collocetur in prioribus circumstantijs, & sortiatur cogitationem congruam. Quod fundamentum prosequitur fusè Vasquez tom. 2. in 1. 2. disput. 189. c. 13. & disp. 190. c. 12.

6. Deus de facto præuenit per Gratiæ supernaturalis Auxilia omnes conatus honestos Naturæ, ita vt quoties proditura foret in solos actus bonos naturales, si destitueretur gratia, prodeat simul in actus supernaturales. Nempe nos distinguere nequaquam possumus inter actus & motiua naturalia, ac supernaturalia; ideoque simul præuenti cognitione naturali, & illustratione supernaturali, non sumus liberi ad bene, vel malè operandum, licet simus liberi ad bene vel malè operandum simpliciter. Quare, licet Natura lapsa sit per se sufficiens ad actus bonos naturales, absque Gratia; tamen de facto habet concomitantem Gratiæ necessitatem, ad quemlibet eorum eliciendũ, propter assiduam, & ineuitabilem assistentiam ipsius Gratiæ, atque inde prouenientẽ inseparabilitatem actus boni naturalis à supernaturali. Quam in rem multa molitur P. Ripalda tom. 1. de ente supern. disp. 20.

7. In pœnam peccati Originalis debetur homini carentia omnis cogitationis congruæ; ideoque Deus potest, ac debet eligere nobis in pœnam peccati cogitationes incongruas, pro omnibus & singulis oportunitatibus operandi. Ergo si dederit pro præsenti statu cogitationem aliquam congruam, cum quà de facto operemur bene, ea erit Gratia specialis distincta à dono Creationis, à qua vtique distincta procul-

dubio

dubio est qualibet remissio pœnæ debitæ pro peccato. Quod nonnulli moderni Auctores promouere conãtur ijs testimonijs, quæ insinuata sunt quæst. 7. negãtia libertatem ac sufficientiam Arbitrij præterquam ad peccandum, si non iuuetur gratiâ Dei ad omnes & singulos actus per momenta per atomos. Ergo Natura lapsa est impotens saltẽ moraliter ad omne, & quodlibet opus bonum, etiam naturale, etiam minimum, ac facillimum absque adiutorio Gratiæ.

R. Duo sunt certa. Alterum est, Naturam lapsam habere absque Gratia sufficientiam simpliciter antecedentem, saltem physicam, ad opera bona moralia. Quia est sufficiens, saltem physicè, ad peccandum; tametsi nullà ex parte actus primi præueniatur Gratiâ Dei. Sufficientia autem ad peccandum includit in se sufficientiam, saltem physicam ad vitandum peccatum, quod nonnisi per actum bonnm totaliter vitari potest, vt liquet ex quæst. 2. Alterum est: Ad quodlibet opus bonum esse necessariam, vt minimum necessitate consequenti, Gratiam aliquam, saltem comparatiuè distinctã à dono Creationis, idque à fortiori pro statu Naturæ lapsæ, vt liquet ex quæst. 4. Quia verò quæcumque Gratia, quomodolibet distincta à dono Creationis conferens siue positiuè, siue negatiuè tantum in vitam æternam, dependet de facto ex meritis Christi, vti dicetur in quæst. de Incarnatione; certum consequenter est aliquam Gratiam, quæ aliquo modo sit per Christum, esse necessariam de facto ad quodlibet opus bonum, cuiuscumque gradus & perfectionis sit.

Controuersia igitur solum superest de necessitate Gratiæ supernaturalis quoad substantiam, cui soli conuenit esse Gratiã

per Christum intrinsecè & per se. Dicendum verò est, Naturam lapsam posse, atque de facto elicere aliquos actus bonos morales absque eiusmodi Gratiâ per Christum. Probatur 1 ex August. c. 27. de Spirit. & lit fin. vbi sic ait: *Quaedam tamen facta* (Ethnicorum operantium sine Gratia) *vel legimus, vel audimus, quae secundùm Iustitiae regulas non solum vituperare non possumus; sed etiã meritò, rectèque laudamus*. Neque obstat, quin potius iuuat aduersatiua, quam immediatè subiungit: *Quamquam si discutiatur quo fine fiant, vix inueniuntur, quae Iustitiae debitam laudem, defensionemque mereantur. Si* enim, *Vix inueniuntur*, certè inueniuntur aliquando, licet rarò. Rursus cap. 28. Init. pronunciat; *Imaginem Dei non ita detritam esse, post peccatum, terrenorum affectuum labe, vt nulla veluti lineamenta extrema remanserint, etiam in Idololatris, vnde aliqua legis facere vel sapere meritò dici possint*. Licet autem hæc duo capita committat August nus hypothesi quàdam longà formata ex mente aliorum, sitque propterea suspensus & imperfectus sensus eorum, quae interijcit, quoad intelligentiam testimonij Apostolici de quo ibi agit; tamen ea quæ modò commemorata sunt, interijcit ex mente propriâ & affirmat absolutè, vt liquet ex contextu, & conuincit Suar. tom. 1. de Grat l. 1. c 9.

Idem colligitur ex frequenti doctrinâ Augustini. l. 4. contra Iulian. c. 3. Lib. de bono Coniug. c. 6. Lib. 1. de Nupt. c. 3. Lib. de perfect. Iust. sub fin. & alibi, admittẽtis possibilitatẽ coniugij, & eius vsus sine peccato, & gratiâ salutari, de quâ agit contra Pelagianos illis libris nec non Ep st 130. vbi affirmat, Continentiam Polemonis Gentilis, licet inutilem ad salutem, honestam tamen fuis-

fuisse. Idem asserit lib. de Patient. c. 27. de Patientiâ Schismatici multa perferentis ne Christum abnegaret. Accedit Auctor Hypognostici, qui est totus Augustinianus, si & Augustinus ipse non est, Lib. 3. sub. init. *Esse fatemur*, ait, *Liberum Arbitrium omnibus hominibus habentibus Iudicium rationis; non quia sit idoneum, quæ ad Deum pertinent* (idest salutaria) *sine Deo inchoare, aut certè peragere; sed tantū in operibus vitæ præsentis; tàm bonis, quàm malis; bonis dico, quæ de bono Naturæ oriuntur.*

Idem præterea suadetur ratione. Tantus, vt minimum, est ex naturà rei impetus rationis in bonum honestum; tantàque vis ipsius boni Honesti; quantus est impetus Appetitus sensitiui in bonum delectabile, & quanta est vis eiusdem boni delectabilis. De quo videtur dubitari minimè posse, obseruato infinito excessu bonorum, quæ proponit ratio præ ijs, quibus allicit appetitus. Impetus autem appetitus sensitiui est tantus, & tanta vis boni delectabilis, vt necesse sit, in aliqua leuia peccata aliquando incidere hominem quantumlibet iustum, & quantàlibet ordinariæ Prouidentiæ Gratiâ suffultum, dum est in viâ. Necesse igitur similiter est, nedum possibile, vt homo, quantumlibet malus, ac malè dispositus, & Gratiæ salutaris auxilijs destitutus, aliquando eliciat aliqua opera honesta facilia, & exigua, propter impetum rationis, & vim attractiuam boni honesti. Huc respexit Augustinus, c. 28. de Spir. & Lit. ante med. dum dixit. *Sicut enim non impediunt à Vitâ æternâ Iustum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur; Sic ad salutem æternam nihil prosunt Impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cuiuslibet*

pessimi

*pessimi hominis inuenitur.* Non autem vsque adeò difficile inuenitur absque opere salutari, cum a motiuis supernaturalibus animum facile auertant mortales, vel vniuersali, ac habituali omnium eorum neglectu, propter arduitatem ipsorum; vel propter delectationem specialem vniuscuiusque motiui connaturalis. Neque verò dici potest, nomine bonorum operum intelligi ab Augustino, solas actiones exteriores, quantum est ex se bonas. Quia illa contraponit peccatis venialibus Iusti, quæ certè talia dicuntur relatè ad actum internum peccaminosum, & cum eiusdem vt talis inclusione.

Circa istud argumentum tria consideranda sunt. Ac primum, difficultas, vt quis longo viuat tēpore, quin vel vnà vice verum, & ex veri amore affirmet, narret, aut promittat. Nullum vnquam concipiat affectum, aut propositum, vel leuissimum sinceræ gratitudinis, vrbanitatis, pietatis, instituendæ melioris vitæ, fugiendæ æternæ damnationis, Beatitudinis procurandæ, &c. Alterum est, plures esse actiones externas, quarum secundum se superatâ difficultate, nulla, aut vix vlla supersit noua difficultas in executione earum ex motiuo honesto. Nec dubitare Auctores contrariæ sententiæ, quin plures actiones externæ ex se bonæ sint possibiles, & fiant de facto à Natura Lapsâ. Tertium est, vt quæ reddunt valde difficilē aliquem actum honestum, eadem valde facilem reddant alium actum honestum; vt quæ vehementer impellunt ad prodigalitatem dant facilitatem ad actum Liberalitatis; Et quæ audaciam fouent, atque Temeritatem, eadem Fortudini facilem viam sternunt. Est itaque impossibile, vt dum est homo in statu viatoris, sit semper, aut etiam plerumque

rumque constitutus in impotentia morali omnium simul actuum honestorum. Quod si vnicuique inest aliquoties moralis potentia bene operandi ex naturâ rei, atque independenter à verà Gratiâ Dei per Christũ; consequens est, vt aliquis aliquando aliquod bonum opus morale efficiat absque eâdem Gratiâ, vti concluditur ex dictis quæst. 5. Potest igitur Natura lapsa elicere aliquem actum moralem bonum, saltem facillimum, absque auxilio Gratiæ per Christum simpliciter, ac per se talis.

Ad 1. 2. 3. & 4. Ex ratione communi qualiscumque indifferentiæ ad varios occursus causarum, & euentus inde prouenientes inter se dispares, Orationes, gratiarum actiones, perseuerantiæ finalis in non peccando, nullatenus probatur Gratia absolutè, & moraliter distincta à dono Creationis, & positiuè potius quàm purè negatiuè salutaris. Quia in homine datur eiusmodi indifferentia, etiam ad occursus causarum conferentiũ bonam indolem, præclarum acumen Ingenij, sanitatẽ robustam, diuitias, & similia quamplura; atque his bonis opposita mala. Eadem bona possunt esse materia Orationis, & consequenter Gratiarum actionis; quia pendent ex liberà diuinæ Prouidentiæ dispositione sistentis vnumquemque pro libito ijs, vel illis causarum naturalium occursibus, feracium vel bonorum, vel malorum, plurĩũ, vel pauciorum, maiorum, vel minorum. Iam perseuerantia finalis contingere potest per obitum, aut amentiam immediatè consecutam ad instans iustificationis, non minus, quàm per actum bonum naturalem, nec non per actum indifferentem in indiuiduo, in sententià illum admittente, vt admittit Vasquez. Posset enim actus indifferens impedire

dire saltem indirectè peccatum lethale in vltimo instanti vitæ; & tamen neque hic actus, neque illa bona ab vllo Theologo censentur Gratia per Christum, qualis ab Augustino intendebatur contra Pelagium; dum contra illum premeret quatuor illa Argumenta. Minus igitur aptè ea adducuntur contra præsentem nostram sententiam, sub illa generalitate terminorum.

Pro efficaciâ igitur illorum ex mente Augustini contra Pelagium intimè penetrandâ; Sciendum est non eodem semper modo, nec in eundem semper scopum efformasse Augustinum ac direxisse ea Argumēta aduersus Pelagium: Quia nec vno tantum modo aduersus illa peccabat Pelagius. Duplex nimirum erat eius error circa necessitatem Gratiæ. Alter namque erat, quo negabat immediatam, & immediatè liberam Prouidentiam Dei in rerum gubernatione, maximè verò eam, *quâ miseretur, cuius vult, & quem vult indurat*; suppeditando siue in ordine naturali, siue in supernaturali, cui vult, cogitationem congruā; & cui vult eandem subtrahendo; vt colligitur inter alia ex Prospero c. 30. & 35. contra Collatorem, nec non ex Hieron. in Epist. ad Ctesiphont. pag. apud me 4. & lib. 1. dial. adu. Pelag. Ait enim Prosper, Deum ex sententiâ Pelagij *esse tantum spectatorem operum nostrorum.* Et Hieronym. eundem ex sententia eiusdem *dormitare in operibus nostris, datâ semel liberi arbitrij potestate*. Idem colligitur ex Orosio referente in Apologiâ de Libero Arbitrio, Deum iuxta errorem Pelagij, *custodire tantum Naturam quam semel bene disposuit, & Elementarijs cursibus institutis, inde facere quæ facit*, Scilicet sine nouâ Libertate, & electione circa singula vnicuique propiria, vel

aduersa

aduersa. Alter error erat, isque præcipuus, vt liquet ex omnibus Augustini Libris contra Pelagium, & ex locis infra singillatim producendis; Opera salutaria non esse supra vigorem Naturæ; & Liberum Arbitrium illis solis subsidijs suffultum, quæ emanant ex causis sensibilibus, sufficere ad executionem illorum.

Priorem errorem conuincunt manifestè quatuor illa argumenta Augustini sub ijs terminis generalibus, sub quibus obijciuntur à Vasquez, & quoad hanc partem, egregiam ipse operam præstat aduersus errorem Pelagij locis citatis, vrgendo quàm diligentissimè Argumenta illa Augustini. Cæterùm secundum errorem, eadem Argumenta sub eàdem generalitate, & ratione cõmuni non modò nõ impugnãt efficaciter; sed ne attingunt quidem directè, & immediatè. Qua propter Augustinus, cũ vult hũc scopum ferire, adijcit terminos magis particulares, quibus particularẽ errorem determinatè comprehendat. Ea videlicet est eorũ Argumentorũ aptitudo, vt cuicumque materiæ accomodentur, æquà semper vi concludant rationem, & necessitatem Gratiæ. Quia enim vnusquisque Homo est indifferẽs ex se ad occursum causarum potentium inducere pulchritudinem, bonam indolem, ingenium, sanitatem, vel defectus ijs perfectionibus contrarios, rectè concluditur eas perfectiones pertinere ad Gratiam Dei, respectu cuiusque Indiuidui determinati. Rursus quia similis est indifferentia ad causas inductiuas cogitationis naturalis congruæ, & incongruæ; & sic de quolibet alio bono, ad quod detur similis indifferentia in causis. Idem prorsus cernitur in Oratione, quæ pro diuersitate rei & modi, quæ, & quo petitur

uitur, diversam similiter rationem Gratiæ concludit; idque ipsum est Gratiarum actioni commune.

Iam verò Augustinum, quando Gratiam salutarem, eandemque intrinsecè supernaturalem concludere voluit, adiunxisse terminis illis vniuersalibus, alios magis particulares, quibus eam complecteretur; commonstrari facilè potest. Atque in primis, quod ad indifferentiam attinet, in illo ipso loco ad Simplicianum post illos terminos vniuersales adijciuntur isti magis particulares. *Cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum &c.* Quo nihil manifestius dici potuit pro determinandâ & cõprehendâ Gratiâ salutari, ac supernaturali. Circa Orationem do specimen cœterorum, ex Epist. 89. propè init. vbi pro necessitate Gratiæ salutaris vsurpat Orationem agnoscentem humiliter debilitatem virium, & propriam impotẽtiam antecedentem *Valet itaque Liberum Arbitrium ad opera bona, si diuinitus adiuuetur, quod fit humiliter petendo, & faciendo. Non enim omnis qui viribus suis confidit, saluus erit; sed omnis qui innocat Nomen Domini, saluus erit.* Et rursus. *Iubet ideò, vt facere iussa conati, & nostrâ infirmitate sub Lege fatigati, adiutorium Gratiæ poscere nouerimus.* Ergo Oratio probans necessitatẽ Gratiæ ad opera salutaria, non est quæ nititur soli impotentiæ consequenti, & rationi communi dependentiæ à prouidentiâ Dei; sed quæ subuenit debilitati virium, & potentiæ antecedenti; adeòque per Gratiam distinctam à determinatione causarum naturalium ex se indifferentium, & contentam in potentiâ Dei, quatenus excedenti vim & exigentiam, etiam vagam earumdem naturalium causarum.

De

De Gratiarum actione nihil opus est seorsim adijcere, cum manifestum sit eandem esse rationem de ipsâ, atque de Oratione. Circa Perseuerantiam finalem hoc certum est, non propterea prædicari necessariam Gratiã specialẽ, & à dono Creationis absolutè distinctam pro illius consecutione: Quia omnis actio, omnisq. euẽtus impediẽs interpositionem peccati post iustificationem, & ante mortem, est eiusmodi Gratia specialis, aut à Gratiâ speciali dependens, si seorsim, & secundum se præcisè consideretur, vt patet ex euentu amentiæ immediatè consecuto post iustificationem, & in quolibet alio adiungente mortem naturalem iustificationi, quin interponatur aliqua tentatio insuperabilis per vires naturales, aut præceptum iniungens pro tunc actum supernaturalem. Dicitur ergo in his casibus perseuerantia finalis in acceptâ Iustitiâ, *Gratia specialis absolutè distincta à dono Creationis: Quia accipitur in concreto simul cum iustificatione præcedenti, vel denominatiuè ab eadem.* In alijs autem casibus eadem est necessitas Gratiæ salutaris ad perseuerantiam finalem, & non finalem, seu vtraque habet eandem rationem Gratiæ. Qua de causa Concilium Tridentinum promiscuè de vtràque definiuit sess. 6. can. 22. *Si quis dixerit Iustificatum, vel sine speciali auxilio Dei, in acceptâ iustitia perseuerare posse; vel cum eo nõ posse, Anathema sit.* Quod accipiendum esse de perseuerantiâ rationali & liberâ per aliquod temporis interuallum cum interuentione difficultatum communiter occurrentium in vitâ mortali; non verò de illo alio priori perseuerantiæ genere, liquet ex Aug. c. 16. de bono perseu. *Vide*, ait, *quàm à veritate sit alienum negare, donum Dei esse Perseuerantiã*

vsque

*vsque in finem, cum vita huic, quando voluerit ipse det finem; quem si dat ante imminentem lapsum, facit hominem perseuerare in finem.* Ergo quod perseuerantia finalis in Gratia possit vltimò compleri per aliquod opus bonum morale, non magis probat necessitatē Gratiæ, quę sit propriè & per se per Christum, ad illud efficiendum, quàm probetur ejusdem Generis Gratiam esse necessariam homini iusto, vt moriatur ex vi causarum naturalium, & omninò naturaliter.

Ad 5. Conceditur sponte, congruam quamlibet cogitationem habere rationem Gratiæ per Cristum respectu cuiuslibet indiuidui determinatè sumpti, vt initio positū est; sed negatur solam consequentem Gratiæ necessitatem, edoctam esse à Concilijs, & Sanctis Patribus aduersus Pelagium. Constat enim ab illis asseri necessitatem simpliciter antecedentem Gratiæ ad quoslibet actus salutares; nempe sine qua tales actus non solum non existent; verùm neque homo erit antecedenter sufficiens ad illos eliciendos. Id enim repugnat doctrinæ stabilitæ q. 7. per totam. Deinde idipsum ostenditur vlterius ex Augustino l. 1. de Grat. Christi c. 12 *Hæc Gratia* (quælibet salutaris) *si doctrina dicenda est, certè sic dicatur vt altiùs, & intimiùs eam Deus, cum ineffabili suauitate credatur infundere, non solum per eos qui plantant & rigant extrinsecùs; sed etiam per seipsum, qui incrementum suum ministrat occultus*. Vbi patet, non solum commēdari occursum talem, vel talem causarum, & circumstantiam conferentium ad congruitatem cogitationis intrinsecè naturalis; sed etiam entitatem ipsā altæ & secretæ illustrationis interioris. Consequenter ad hæc c. 8. de prædest. Sanctor. ad med. exaltat Gratiam salutarem supra

pra sensuum ministerium. *Valde remota est,* ait, *à sensibus hac Schola, in qua Pater auditur, & docet vt veniamus ad Filium.* Idem docet magnificè & efficaciter Epist. 107. ante med. Consonat Fulgent. de Incarn. & Grat. fine. *Frustra,* inquit, *sermo diuinus exterioribus auribus sonat, nisi Deus spirituali munere auditum interioris hominis aperiat.* Patet verò cogitationem entitatiuè naturalem, siue cōgrua, siue incongrua sit, non esse valde remotam à sensibus, nec respectu eorum altam, secretamue, dici posse; aut *Spirituale munus sermoni diuino superadditum.* Adde Augustinum c. 1. de Prædest. Sanct. vbi gaudenter & approbanter refert recessum Massiliensium à Pelagio, quoad necessitatem Gratiæ ad incrementum fidei, & opera: Capite verò 2. tantum optat vt eandem eiusdē Gratiæ necessitatem agnoscant ad initium fidei & reliquos præuios conatus salutares. Certum autem est Massilienses idem Prouidentiæ genus, quoad omnia statu esse, nec disparem in Deo constituisse libertatem pro exterioribus opportunitatibus cogitationis congruæ ad initium fidei, & ad eius augmentum. Ergo non de eà solum Gratiâ disputatum est cum Pelagio, quæ consistit in præuisione, & liberà electione congruitatis. Vnde obiectio illa, cum habeat speciem plus iusto commendantis necessitatem Gratiæ per Christum, reipsà pugnat aduersus veram Christi Gratiam verè salutarem, & sufficientem ad opus meritorium vitæ æternæ; ideoque conceditur illi intentum, negatà tamen falsà, qua laborat, suppositione.

Ad 6. Ea obiectio non magis adstruit necessitatem Gratiæ iuxta mentem Conciliorum &, Patrum contra Pelagium. Quia Concilia & Patres definiunt, ideò dari Gratiam

tiam à Deo, quia est necessaria, & ideò esse necessariam, quia opera sunt supra vigorem naturæ, vt constat ex nuper dictis, & ex eàdem illà quæst.7. Obiectio autem contendit è conuerso, ideò esse necessariam Gratiam, quia datur, & quia eius existentia, atque influxus sunt ineuitabiles; cùm aliàs opera bona contineantur in vigore Naturæ, etiam lapsæ. Rursus ea necessitas Gratiæ, qualiscumque demum ea sit, est communis Naturæ integræ, & lapsæ, necnon operibus, vtcumque vel difficilibus, vel facilibus, nullaque per eam statuitur; sed magis excluditur debilitas specialis Naturæ inducta per peccatum, contra ea quæ dicta sunt quæst. 10. Non ergo attingit ea Doctrina scopum controuersiæ, iuxta principia legitima de Gratia. Falsum præterea est voluntatem præuentam simultaneè cognitione naturali, & illustratione supernaturali, nõ posse discernere & eligere liberè inter actum, & motiuum naturale & supernaturale, de quo alibi dicetur commodiùs.

Ad 7. Eius obiectionis Auctores supponunt nihil innouatum esse ratione peccati, quoad sufficientiam bene operandi; ac proinde dari frequenter in quolibet homine, non obstante peccato, sufficientiam moralem bene operandi absque Gratia distincta à dono Creationis. Constat autem ex q.5. inde consequi necessariò existentiam congruæ cogitationis aliquando, in aliquo homine. Ergo inconsequenter dicitur, congruam cogitationem esse Gratiam distinctã a dono Creationis ex suppositione peccati, respectu totius hominum Collectionis. Deinde Deus non potest in pœnam peccati eligere auxilia inefficacia prout inefficacia; ita vt intendat inefficaciam ipsorum, respe-

ctu

ctu cuius solùm permissiuè se habere potest, vt dicetur in quæstionibus de Deo, explicãdo effectus Prædestinationis & Reprobationis. Denique Natura lapsa, licet amiserit in pœnam peccati, quæ pendent a misericordia Dei, quatenus gratiosa respectu cuiusque; retinet tamen omnia, quæ pendent ex determinata exigentia causarum naturalium, inter quæ reperiri vagè, saltem respectu aliquorum, cogitationes aliquas congruas, suadent efficaciter considerationes notatæ in fine responsionis ad quæstionem. Idem confirmat, quod homines Iusti merentes vitam æternam, non propterea merentur, ne vlla vnquam sibi detur cogitatio incongrua, cum qua inducatur peccatum lethale; licet necessarium id sit ad consecutionem præmij. Ergo nec peccator meretur ratione peccati, vt destituatur, dum est in via, omni cogitatione congrua, licet mereatur æternam damnationem, ad quam deinde consequitur priuatio omnis cogitationis congruæ.

Ad id, quod additur de Natura lapsa insufficiente, ex se præterquam ad peccandum si non adiuuetur Gratiâ Dei per Christum; iã innotuit quæst. 7. ad 2. quo sensu accipiendum sit, quando id dicitur ab Augustino, & alijs Scriptoribus sacris: nempe accipiendum esse non de insufficientiâ ad quodlibet opus vtcumque bonum, & expers propriæ malitiæ peccaminosæ; sed de solâ insufficiẽtiâ ad opus salutare seu meritorium visionis Dei. Adde in confirmationem huius distinctionis agnitæ & vsurpatæ ab Augustino, testimonium eius ex Libr. 4. contra Iulian. Pelag. c. 3. prope finem. Cum enim multus esset Iulianus in laudandis quibusdam Infidelium operibus; *aut certè*, reponit Augustinus, *quoniam saltem concedis, opera Infidelium,*

*quæ*

*quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam, regnumque perducere: Scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum sine Dei Gratiâ, quæ datur per vnum mediatorem Dei, & Hominum, nemini posse conferri, per quod solum homo potest, ad æternum Dei donum, regnumque perduci*. Et mox immediatè subiungit, se nihil curare, an præter hæc sint alia bona opera, aliæque virtutes, quibus nihil malitiæ, aut peccati adiunctum sit, quia id nihil intererat pro scopo eius controuersiæ. Ait enim: *Omnia proinde cætera, quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi virtutes veræ, videantur opera bona, & sine vllo facta peccato: Quod ad me attinet* (scilicet ad scopum pertinet disputationis contra Pelagianos) *hoc scio quia non ea facit voluntas bona*; Eâ nimirum bonitate, quam immediatè exposuerat, perducentem in Regnum Cœlorum. Igitur sufficientia Naturæ lapsæ, & exclusio necessitatis tàm consequentis, quàm antecedentis Gratiæ simpliciter & per se per Christum ad opera bona moralia, saltem minimà, & facillima, nihil continet menti, ac intentioni Augustini contrarium, nec reprobatur generalibus testimonijs de sufficientiâ Naturæ lapsæ, præterquam ad peccandum.

# QVÆSTIO XII.

## Vtrum Natura lapſa ſufficiat abſque auxilio Gratiæ per Chriſtum ad obſeruantiam totius Legis naturalis?

VIDETVR ſufficere 1. Quia obſeruantia totius Legis naturalis continetur in actiuitate, & viribus naturæ, abſq; adiutorio ſupernaturali; quandoquidem nihil illa ſupernaturale in ſe continet. Actiuitas autem, & vires purè naturales nō deſunt naturæ lapſæ. Ergo nec deeſt ſufficientia ad totam legem naturalem. Nec obſtat vires naturæ lapſæ eſſe minores quam forent in purà natura, vt dictum eſt quæſt. 10. Hinc enim ſolùm deducitur, obſeruantiam Legis naturalis eſſe difficiliorem Naturæ lapſæ, quàm foret Puræ; non tamen eſſe abſolutè impoſſibilem.

2. Effectus, ad quem eſt neceſſarium principium ſupernaturale, eſt ſupernaturalis. At Gratia per Chriſtum propriè & ſimpliciter talis, eſt intrinſecè ſupernaturalis, vt dictum eſt ſupra, quæſt. 7. Ergo obſeruantia totius Legis naturalis, ſiquidem & ipſa naturalis eſt, præſtari poteſt abſque Gratiâ per Chriſtum propriè, & ſimpliciter tali.

3. Si non poſſit præſtari obſeruantia totius Legis naturalis per ſolas vires naturales; neque etiam præſtari poſſet per ſupernaturales Gratiæ, quia auxilia ſupernaturalia non poſſunt influere in actus naturales, quibus conſtituitur obſeruantia Legis naturalis. Auxilia namque ſupernaturalia propo-

sunt sola motiua supernaturalia; ideoque ad solos actus supernaturales mouent voluntatem; ideoque ad solos illos cooperari ipsi possunt. Absurdum autem est, Legem naturalem præstari non posse vllo pacto: præstari igitur naturaliter potest.

4. Potest Natura lapsa superare grauissimas quaslibet tentationes absque vllo auxilio Gratiæ supernaturalis; Aliàs neque leuissimam vllam tentationem superare posset, nisi præueniente Gratiâ Dei per Christum. Fieri nimirum potuit, vt quandocumque occurrit tentatio leuis, occurreret tentatio grauissima. Ac proinde ad eandem Gratiam spectat, quòd non adsit grauissima tentatio, ad quam spectat, vt eadem superaretur si esset præsens. Constat autē ex quæst. præced. aliquam tentationem superari posse sine Gratia Christi: Quia constat sine ipsa fieri posse bonum opus facillimum, & vitari peccatum vitatu facillimum; & neutrum fit non superatâ aliquâ tentatione in contrarium. Quia omnis vitans liberè peccatum, superat aliquam ad illud inclinationem, quæ habet rationem alicuius tentationis. Ergo potest superari grauissima etiā tentatio absq; gratiâ Christi: atq; potestas ad superandas istiusmodi tentationes, est potestas ad obseruantiam totius Legis, vtpote quæ solâ vi vlteriorum tentationum reddi potest insuperabilis, & impar viribus naturalibus.

5. Ideò qui est in statu peccati personalis non potest diu permanere in illo statu; quia vt argumentatur D. Thom. 1.2. q.109. a.8. est habitualiter auersus à Deo, hoc est, habet habitum relictum à peccato, per quem disponitur eius animus ad contemptum Dei, & ad amplectendum bona temporalia cum iactura eiusdem. At peccatum Originale,

non

non inducit eiusmodi habitum auersionis, & conuersionis; quia non fundatur in actu elicito ab ipso peccatore, qui solus posset in eum inducere habitum taliter auersiuum, & conuersiuum. Ergo ratione solius peccati Originalis, non redditur homo impotens ad obseruantiam totius Legis naturalis longo tempore, sicut ratione peccati personalis.

R. Sententia communis, & vera Theologorum cum D. Thoma, loco nuper indicato, est, Naturam lapsam non posse longo tempore seruare totam legem naturalem per solas vires intrinsecè naturales, & absque auxilio Gratiæ per Christum. Idem colligitur ex Trid. sess. 6, can. 22. damnante, iustificatum absque speciali auxilio Dei in accepta Iustitia perseuerare posse; vel cum eo non posse. Probatur præterea ex dictis quæst. 9. Inde enim deducitur naturam lapsam esse valde debiliorem, quàm foret pura. Ostensum namque fuit in omnibus & singulis hominibus, inductam esse aliquam virium debilitatem in actu primo, antequam aliquid seu bene, seu malè operentur: Atq; hanc maiorem debilitatem continuari per totum vitæ mortalis decursum. Ex hac autem vniuersali aliquali virium diminutione deriuatur in singulos maxima quædam debilitatio, Inde enim consequitur per se, plura mala exempla, atque deteriora singulis occurrere ex parte cæterorum; educationem Liberorum per Parentes esse minùs bonam; Consilia bona amicorum esse languidiora; esse minùs efficacem doctrinã Pastorum; & sic omnia cætera exteriùs impellentia ad bonum ex parte languere, & tantumdem vigere, quæ pertrahunt ad peccandum. Ex hac autem tantà congerie di-

minutionis bonorum, & augmenti malorum, nemo non vide, quanta demum in singulos redundet debilitas ad bonum, & decliuitas in malum; & quam longo interuallo distet vtrinque status Naturæ lapsæ à statu Naturæ puræ. In statu autem Naturæ puræ non forent vires maiores, quàm quæ essent omninò necessariæ ad superandas difficultates omnium maximas circa Legem naturalem, pro eodem statu. Nempe vt aliquid supersit respectu finis vnicuique rei præstituti, non est ex lege Naturæ; sed ex lege Gratiæ. Ergo vires Naturæ lapsæ longè minores, quàm forent Naturæ puræ, non sufficiũt ad superandas tentationes grauissimas, maximè cùm tentationes, quæ sunt grauissimæ pro statu præsenti, eadem proportione, sint maiores, quàm forent in statu Naturæ puræ; quà proportione vires ad resistendũ sunt minores. Ex ijsdem namque principijs pendet diminutio istarum, & augmentum illarum. Cum igitur in diuturna totius Legis naturalis obseruantia, necesse sit, vt occurrant graues aliquando tentationes; necesse consequenter erit, vt aliquando denuò cadat Natura lapsa, nec continuare possit, absque vlla interruptione eandem obseruãtiam, si ei non subueniatur per adiutorium Gratiæ supernaturalis.

Meritò in hoc discursu fit recursus ad impossibilitatem superandi tentationes graues, & ad necessitatem vt eædem occurrant. Quia ex earum grauitate relatè ad debilitatem Naturæ lapsæ, oritur tota huius impotentia ad obseruantiam totius Legis, vt non rectè contendat Vasquez nullum esse discrimen necessitatis Gratiæ, quoad leues, grauesque tentationes; sed ad omnes indiscriminatim eademque ratione eam esse necessariam. Quod profectò videtur contradi-

cere

cere doctrinæ Christi Domini Matth.5. Vbi actus faciles, vt diligere diligentes se, & salutare fratres, conceduntur possibiles antecedenter, & consequenter Ethnicis, etiam & Publicanis: Prædicatur verò tanquam effectus solius Gratiæ Euangelicæ, salutaris dilectio inimicorum, in quibus tamen comparationis extremis, sola est differentia grauis & leuis tentationis in contrarium. Eandem differentiam agnoscit Augustinus in contrarium de perfectione Iustitiæ ad tertiam ratiocin: & cap. 11. de corrept. & Grat. dicens, Liberum Arbitrium sufficere ex se ad malum; ad bonum autem parum valere. Quod si nullam posset superare tentationẽ, nihil prorsus valeret; multum verò, si quaslibet. Hier. dial. 3. contra Pelag. post med. manifestè docet ex potestate superandi leues tentationes, non rectè colligi potestatem ad superandas graues: vtiturque exemplis physicis Infirmi, qualem iudicat hominem lapsum, potentem ambulare centum passus, non autem mille, & similibus alijs. Chrisostomus ex illo Pauli 1. ad Cor. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari vltra id, quod potestis*; Infert hom. 34. Esse aliquas tentationes, quæ ferri non possunt; potestate scilicet morali, & sine Gratiâ Dei. Ibidem distribuit tentationes in humanas seu leues, & in eas quæ ferri non possunt; Atque de humanis docet non facile vinci sine Gratiâ. Eandem fere doctrinam habet Cyrillus l. 5. in Ioan. c. 45.

Ex his apparet non rectè pronunciasse P. Vasquez, nullum esse istiusmodi discrimen apud Patres, vt tueatur suam illam vniuersalem, & vniformem necessitatem Gratiæ, purè consequentem, non minùs ad superãdas graues, & leues tentationes, quàm ad

efficienda opera heroica, & quæ minima sunt; Cùm, vt dictum est quæst. præced. ita etiam modò dicendum sit, suppetere Naturæ lapsæ sufficientiam non solùm antecedentē; sed etiam nonnumquam consequentem ad superandas tentationes leues absque Gratia per Christum simpliciter, & per se tali: Eandem verò absque eàdem, etiam antecedentem, non adesse ad superandas graues, vel certè grauissimas; atque adeò ex hac posteriori impotentia rectè concludi impotentiā moralem antecedentem ad totam legem. Inquam verò, *moralem*, quia potestas physica adest necessariò, quandocumque vrget obligatio legis, vt liquet ex quæst. 2.

Ad 1. Continetur quidem in actiuitate Naturæ non vitiatæ & debilitatæ per peccatum; non verò post inductam debilitatem per peccatum, vt ostensum iam est. Ratione enim eius debilitatis requiritur Gratia supernaturalis, vt potentia physica, quæ inest Naturæ etiam lapsæ, perueniat ad potentiā moralem: Nempe differentia maioris debilitatis in Naturâ lapsâ quàm purâ non inducit respectu illius maiorem vtcumque difficultatem operum Legis; sed talem, quæ vsque ad impotentiam moralem pertingat.

Ad 2. Necessitas comprincipij supernaturalis, quæ non fundatur in Naturâ effectus secundum se; sed in eàdem præcisè, vt comparatâ cum præsenti dispositione agentis naturalis, per accidens debilitati, nequaquam probat supernaturalitatem intrinsecam, in tali effectu; præsertim cum comprincipium supernaturale exigitur ad possibilitatem moralem, & præsupponit potentiam physicam in agente naturali.

Ad 3. Etiamsi adiunctis, & iuuantibus comprincipijs supernaturalibus, non possint fieri,

fieri nisi actus supernaturales, non propterea sequeretur illa iuuare non posse ad obseruantiam Legis naturalis; sed solùm iuuare non posse ad obseruantiam purè naturalem illius. Deinde fieri potest, vt auxilia supernaturalia iuuent ad obseruantiam etiā naturalem eiusdem Legis naturalis, quatenus proponendo motiua supernaturalia, validissimè contradicentia transgressioni Legis, reddunt difficilem transgressionem, ac per consequens facilem obseruantiam. Atq; eà redditâ iam facili, potest ipsius executioni sufficere se solà, etiam moraliter, actiuitas naturalis, tametsi suffectura similiter non foret, non præexistente, ex parte actus primi, illâ tanta difficultate transgressionis.

Ad 4. Cui occurrit leuis tentatio, quòd non occurrerit grauis, aut grauissima, est Gratia solùm externæ Protectionis, vt communiter dicitur, & est Gratia intrinsecè naturalis. At cum occurrerit grauissima ipsa tentatio, requiritur pro potestate morali eam superandi Gratia intrinsecè supernaturalis, operans positiuè, & non tantùm remouendo prohibens. Licet autem vnumquemlibet aliquando liberare Deus possit ab occursu grauium tentationum; fieri tamen ex naturâ rei non potest, vt omnis & semper, aut etiam vnus aliquis per longum tempus liberetur à tentationibus, quæ respectu Naturæ lapsæ secundum se sint graues, aut grauissimæ, & solùm respectu Gratiæ supernaturalis sint leues, ac facilè superabiles. Quare ea Gratia est absolutè necessaria ad diuturnam Legis naturalis obseruantiam, tametsi necessaria non sit, pro superandis tentationibus, quæ respectu eiusdem Naturæ leues sunt.

Ad 5. Illa ratio probat optimè subiacentem peccato personali, non posse perseuerare diu absque nouo peccato, si non resipiscat, etiamsi iuuetur per auxilia ordinaria Gratiæ iuxta illud Gregorij hom. 11. in Ezech. post med. *Peccatum quod mox per pænitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit*. Cæterum inde, non efficitur, non superesse aliam rationem impotentiæ moralis inductæ per peccatum originale, vt iam patuit.

# QVÆSTIO XIII.

## Vtrum Natura Lapsa sufficiat ad dilectionem Dei naturalem super omnia, absque auxilio Gratiæ per Christum, saltem cum non adest tentatio grauis?

VIDETVR tunc saltem sufficere. 1. Quia quando non adest tentatio grauis, eadem prorsus est potentia ac sufficientia Naturæ lapsæ, atque puræ, à qua videlicet deficit lapsa Natura, solùm ratione grauiorum tentationum irruentium in ipsam. Natura autem pura sufficeret ad dilectionem Dei super omnia, vtpote quæ esset ordinata ad illam, tanquam ad finem suum, nec haberet impedimentum, dum conseruaretur pura. Ergo etiam Natura lapsa sufficit ad eandem, dum non vrgetur graui aliqua tentatione.

2. Na-

2. Natura lapsa est sufficiens sine Gratia ad alios actus heroicos motiui vniuersalis, qualia sunt motiua Obedientiæ, Religionis, & similia. Ad istiusmodi enim actus admittitur sufficiens Natura lapsa, sine Gratiâ, cum non adest grauis tentatio, ab ijs omnibus, à quibus admittitur sufficient a absque Gratiâ ad aliquod bonum opus morale facillimum, & minimum, vti admissa est quæst. præced. Ergo etiam est admittenda sufficientia eadem morali sine Gratiâ ad dilectionem Dei naturalem super omnia, saltem cum non adest grauis tentatio. Pa et consequentia: Quia quilibet actus motiui vniuersalis est incompossibilis cū omni & quouis peccato lethali; Atque adeò continet in se obseruantiam totius Legis; & consequenter victoriam omnium difficultatum aduersus ipsam, non secus ac dilectio Dei super omnia. Ergo nullo ex capite hæc potest esse difficilior, quàm illa.

3. Quò maius bonum proponitur voluntati, eò efficaciùs illam mouet & pertrahit ad se, & consequenter reddit habilem ad superandas maiores difficultates. Motiuum autem dilectionis Dei est summum bonum. Ergo voluntas est magis etiam potens ad dilectionem Dei naturalem super omnia, absque vllo auxilio Dei supernaturali quàm sit potens ad vllos alios actus bonos; quorum tamen aliquos dictum est fieri posse sine Gratiâ supernaturali. Est verò magis potens, etiamsi adsint grauissimæ quælibet difficultates, vtpote quibus præponderat vis attractiua infinitæ Dei bonitatis.

R. Dilectio Dei super omnia continet in se potestatem moralem obseruandi totam Legem, naturalem quidem, si dilectio sit naturalis; supernaturalem verò, si supernatu-

ralis sit, Nempe dilectio vnius super aliud est dispositio animi facilè patiens iacturam posterioris, ne amittat illud prius. Qui enim amat honorem super diuitias, adueniente necessitate alterutrum amittendi, altero retento, facilè proijcit diuitias, vt consulat honori; & ex duobus Amicis, qui præ altero diligitur, præualet similiter, cum facili iacturà alterius. Hinc Ioan. 14. dicitur: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit*. Vbi ex dilectione præsenti colligitur obseruantia Legis, non solùm præsens; sed etiam futura. Et licet sermo ibi sit de dilectione Dei supernaturali; eadem tamen ratio est, de dilectione naturali in ordine ad legem naturalē, quæ est de supernaturali in ordine ad supernaturalem. Vtraque enim, *firmat cor in Deo; ita vt pro nullo bono consequendo, vel malo vitando ab eo separari velit*; vt habetur ex D. Dhom. 1. 2. quæst. 109. art. 8. Et discrimen est solùm, quòd amor naturalis oritur ex cognitione Dei, vt auctoris naturalis, concipiente proinde ipsum relatè ad ea, quæ naturaliter occurrere possunt, tâm congruentia ipsi, quàm eidem contraria. Vnde consequitur, vt dilectio naturalis firmet cor in Deo, in ordine ad contemptum bonorum naturalium, & in ordine ad superandas difficultates contrarias, quæ naturaliter occurrere possunt: dilectio verò supernaturalis, etiā in ordine ad ea, quę supernaturaliter possunt occurrere. Cœterū vtraque in eo conuenit, vt vnaquæque in ordine suo confortet hominem in ordine ad totam Legem sibi correspondentem. Quapropter id etiam vtrique commune est, suo modo, quod habetur apud Apostolum: *Charitas patiens est, benigna est &c.* Quod sanè de nullà aliâ virtute docemur: quia scilicet

sola

sola Charitas est, quæ vi suà inducere potest reliquas omnes virtutes, imperando earum actus, & superando omnes difficultates contrarias. Idemque præstat dilectio naturalis in ordine ad cæteras vitutes naturales, & difficultates contrarias naturaliter occurrentes. Continet ergo in se dilectio Dei naturalis obseruantiam totius Legis naturalis, non quidem, vt postea non possit nihilominus deficere; quia, vt dicitur in 3. Ethic. cap. 8. *Potest homo ex præmeditatione rationis aliquid agere præter ordinem finis præconcepti, & inclinationis habitualis relicta ex actu præexistenti*; bene tamen ita vt moraliter sit potens perseuerare absque aliquo lapsu lethali; vt conuincit ratio prælationis, quæ fit de Deo per eius dilectionem. Itaque qui sic diligit Deum, quando non occurrit vlla tentatio grauis in contrarium, vt non habeat in animo dispositionem ad illam superandam, quandocumque occurrerit, non diligit absolutè Deum super omnia; esto diligat super ea, quæ in contrarium tunc occurrunt, quando concipit dilectionem; sicut is, qui diligit hominem tempore felicitatis, non diligit eum amicabiliter, si ex tunc non habet paratum animum ex vi dilectionis ad eandem constanter retinendam, ingruente aduersitate. Igitur dilectio Dei super omnia, siue naturalis, siue supernaturalis, quadocumque, & in quibuscumque circumstantijs concepta, per seipsam est potentia moralis ab obseruantiam totius Legis, siue naturalis, siue supernaturalis, proportione seruatà, ita vt fundet spem prudentem, certè non penitùs imprudentem, qualis concipitur circa eas quæ sunt moraliter impossibilia, de præstandà totà lege, & de superandis qu buslis

difficultatibus in contrarium. Dictum autem est quæst. præced. obseruantiam totius Legis naturalis, & victoriam grauium tentationum esse moraliter impossibilem respectu Naturæ lapsæ destitutæ Gratia supernaturali. Ergo eidem absque eadem est moraliter impossibilis dilectio Dei naturalis super omnia, quæ est sententia communis Theologorum cum D. Thoma quæst. illa 109. a. 3.

Ad 1. Transeat contingere aliquando, vt homo in statu Naturæ lapsæ sit æquè bene dispositus Animo, & Corpore, intrinsecùs & extrinsecùs; atque foret in purà Naturà, quod tamen est difficile ex dictis quæst. 9. & quæst. proximè præced. Negandum nihilominus est in Naturà lapsà non requiri plus dilectionis, ad hoc vt absolutè dicatur super omnia, quàm requisitum fuisset, non modo in statu Naturæ integræ, verum etiam in statu Naturæ puræ. Quia est de conceptu dilectionis super omnia promptitudo animi ad superandas omnes difficultates contradicentes rei amatæ, & coniunctioni affectiuæ cum eàdem. Difficultates autem, quæ possunt occurrere in statu Naturæ lapsæ, sunt longè maiores, quàm quæ occurrere possent in statu Naturæ vel Integræ, vel etiam Puræ Ergo dilectionem Dei oportet esse multò maiorem, vt absolutè sit dilectio super omnia comparatione status Naturæ lapsæ; Et quidem eo gradu excessus, qui est moraliter impossibilis Naturæ lapsæ, etiam pro instanti pro quo nullum est, aut vix est vllum impedimentum tentationis, vt liquet ex dictis.

Ad 2. Actus aliarum virtutum concepti ex motiuo vniuersali sunt incompossibiles cum quouis peccato lethali; non tamen continent in se necessariò potestatem mo-

ralem

ralem, & promptitudinem animi vniuersalem, qualem continet in se dilectio Dei super omnia. Hæc enim, propter præstantiam incomparabilem sui motiui, & dignitatem specialissimam eiusdem, habet vim specialissimam solidandi in bono, & resistendi cuiuis contradictioni, quam cœteræ virtutes nequaquam habent, propter debilitatem sui motiui, quæ maxima est, si comparetur cum Deo. Nulla igitur est consequentia obiectionis, cui perperàm confidit P. Ripalda.

Ad 3. Motiuum dilectionis Dei est vsque adeò validum ex se, vt perfectè cognitum necessitet voluntatem. Cœterùm Naturæ lapsæ non valet nequidem auferre necessitatem moralem ad oppositum. Quia ratione peccati Originalis obscuratur Intellectus, in ordine ad Deum & diuina, & tantumdem acuitur in ordine ad temporalia & inhonesta, vt liquet ex dictis superiùs semel atque iterum de debilitate Naturæ lapsæ. Vnde quod est validissimum, ex suà naturà, fit debilissimum: validissimum verò, quod est naturà debilissimum, quoad vim pertrahendi voluntatem.

# QVÆSTIO XIV.

## Vtrum Natura Lapsa sufficiat moraliter ad vitanda omnia peccata venialia collectiuè cum auxilijs ordinarijs Gratiæ?

VIDETVR sufficere 1. Quia Potētia moralis vitandi seorsim singula peccata successiuè, est potentia moralis vitādi totam eorum collectionem collectiuè. Nam vitare singula seorsim successiuè, est vitare totam collectionem collectiuè. Neque enim aliter vitaret totam collectionem collectiuè, qui potiretur speciali Dei priuilegio, quàm vitando singula seorsim successiuè. Quòd si vitare singula seorsim successiuè, est vitare totā collectionē collectiuè; posse moraliter vitare singula seorsim successiuè, est etiā potentia moralis vitandi totā collectionē collectiuè. Nēpe quorū existentia est eadem, est etiā eadē qualibet eorundem possibilitas, & potentia, quod est euidentissimū. Inest autem Naturæ Lapsæ potentia moralis ad vitanda singula seorsim peccata venialia successiuè cum auxilijs ordinarijs Gratiæ: Nec enim est maior difficultas in vitatione cuiusque venialis seorsim, quàm in vitatione cuiusque lethalis seorsim. Certum verò est, ex sæpe citato testimonio Tridētini, posse moraliter vitari singula seorsim peccata lethalia successiuè cum auxilijs ordinarij s

dinarijs Gratiæ; quandoquidem definitum est, totam eorum collectionem esse moraliter euitabilem. Omnia igitur peccata venialia collectiuè sumpta vitari moraliter possunt, cum auxilijs Ordinarijs Gratiæ.

2. Vitatis nouem peccatis venialibus cũ auxilijs ordinarijs Gratiæ, superest adhuc, ex vi eorumdem, potentia moralis vitandi decimum, quo supponatur compleri multitudo moraliter ineuitabilis collectiuè cum auxilijs ordinarijs. Ergo fieri potest, vt illud vitetur de facto. Atqui eo vitato, vitata erit de facto tota collectio sumpta collectiuè. Ergo cum auxilijs ordinarijs vitari moraliter potest tota ea collectio. Eadem porrò ratio est de qualibet alia collectione peccatorum, dierum, annorum. Assumptum autem cõmuniter admittitur, & paulò post patebit negari non posse.

3. In statu puræ Naturæ potuisset vitari potentià antecedenti, & consequenti tota collectio venialium. Ergo etiam potest pro statu præsenti cum auxilijs ordinarijs Gratiæ supernaturalis. Patet consequentia. Quia Auxilia Supernaturalia ordinaria omnia, non solùm valent ad æqualitatem virium puræ Naturæ, sed etiam ad excessum. Aliàs foret melior status quoad modum supernaturalis, restituens bona puræ Naturæ, quàm status Eleuationis, ac Reparationis. Probatur Antecedens. Quia homo naturali lege tenetur ad vitandam totam collectionem venialium: Nec enim licitum est velle, etiam vagè, committere aliquod veniale peccatum aliquando. Et tamen licitum est velle id, ad quod vitandum non obligat Lex. Nequi autem naturali lege teneri homo ad id, quod est naturaliter impossibile. Est autem naturaliter impossibile quod pro

statu

statu Naturæ fieri non posset, non solùm potentia antecedenti; sed etiam consequẽti. Quatenus non solùm ea potentia frustra est, quæ non potest reduci in actum, sed etiam quæ nunquam reducetur, præsertim si hoc ei conueniat per se, & iuxta exigentiam suæ Naturæ.

R. Certum est non posse vitari omnia venialia collectiuè sumpta cum solis Auxilijs ordinarijs Gratiæ pro præsenti statu. Quia ita definitum est à Conc. Trid. cap. 11. & can. 23. sess. 6. Et colligitur ex multis locis scripturæ. Impotentia ista vitandi omnia venialia collectiuè non est in primis physica vt putauit Zumel contra communem; sed solùm moralis. Siquidem tenemur ad vitanda omnia collectiuè, vt nuper rectè assumebatur, & probabatur. Deinde eadem impotentia non est purè consequens; quia si omnes, aut plerique communiter haberent potentiam moralem antecedentem ad vitanda omnia collectiuè, necesse moraliter esset, vt aliquis ea sic vitaret; Ac proinde daretur de facto ea vitatio absque speciali priuilegio. Denique, impotentia ista nec prouenit ex impotentia morali antecedenti ad vitandum aliquod veniale determinatè sumptum, propter specialem aliquam difficultatem; neque ex lassitudine voluntatis, postquã iã multa vitauit venialia. Non ex impotentiâ ad aliquod determinatè, quia vnum quoduis peccatum veniale determinatè sumptum, nullo ex capite potest esse vitatu difficilius, quàm vnum quoduis Lethale, vt apparet considerãti motiua inuitantia, & retrahentia respectu vtriusque, æquiponderantia inuicem cum iusta proportione. Dictum autem est ex Tridentino, quoduis lethale, imò totam

colle-

collectionem lethalium vitari posse potestate etiam morali, cum auxilijs ordinarijs Gratiæ. Nec etiam oritur ex lassitudine, quia Innocentia hodierna iuuat potiùs propter habitum bonum, ad Innocentiam crastinam, & nullatenus retardat. Cùm enim voluntas sit potentia spiritualis, non fatigatur repetitione, aut continuatione actuum, saltem immediatè, & ratione sui. Vnde positis alijs requisitis perseuerat semper æquè prompta ac expedita, quin & expeditior, ac promptior præcedente Innocentiæ consuetudine. Requisita autem ex parte Corporis facilè eadem perseuerare, aut redire, aut etiam meliorari possunt post repetitionem vitandi peccata. Siquidem eorum occasiones, & tentationes, nec totā vitam cui Concilium adnectit impotentiam istam; vel etiam longum tempus plurium dierum, mensium, aut annorum complectitur continuata physicè contentio vitandi, quæ lassitudinem pariat dependenter ab Innocentiæ conseruandæ conatu, qui antecessit à principio vitæ. Imò ob hæc omnia coniunctim sumpta, quatenus includunt habitum bonum, probabilius est per se lapsum in veniale futurum esse in parte aliqua prioris, potiùs quàm posterioris temporis complectentis totum interuallum impotentiæ moralis ad vitandam collectionem; Atque ita plerumque contingit. Plures enim sunt, qui non accedunt, quam qui accedunt proximè ad longum tempus impotentiæ moralis completiuum absque vllo peccato veniali: Idest, plures sunt, qui peccant in priori medietate talis temporis, quàm in posteriori medietate.

Igitur ista impotentia communiter reuocatur ad tria capita; Quorum primum est,

Nati-

Natiua Arbitrij humani volubilitas, & facilis in vtramuis partem inclinatio. Alterum est frequens peccatorum venialium propè innumerabilium oportunitas, afferens secum eandem totidem tentationum frequentiam. Tertium est defectus formæ exhibentis inuariabilem constantiam, & vniformem tenacitatem honesti, vti exhibet vnio hypostatica, & visio Beata. Adhuc tamen desideratur ratio, ob quam sit antecedenter impossibilis moraliter vniformitas semper bene operandi. Quia defectus formæ exhibentis inuariabilem constantiam, coniunctus cum multitudine occasionum, & cum perfecta in vtramuis partem indifferentia pro vnaquaque occasione potiùs persuadere videtur æquè facilem ac sperabilem esse antecedenter vniformitatem aut semper operandi bene aut semper peccandi; atque est facilis ac sperabilis difformitas aliquando bene, & aliquando malè operandi: Quia singulæ oportunitates cum inclusione omnium requisitorum æquè grauant bilancem in vtrumuis ex illis duobus extremis. Verum nobis facilis & clara huius rei ratio descendit ex dictis quæst. illâ 5. de Impossibilitate morali vniformitatis in collectione quã plurimorum, quorum quilibet sit æquè, aut ferè indifferens ad vtramque partem contradictionis. Eadem namque ratio est de vno quolibet comparato cum ferè innumerabilibus occasionibus, pro quarum singulis sit perfectè indifferens in vtramque partẽ, atque est de multitudine ferè innumerabili hominum, quorum quilibet sit similiter indifferens. Vtrobique enim adsunt eodem modo, eademque cum proportione plures causæ adæquatæ, quarum quælibet se solà possit impedire vniformitatem, quam difformi-

formitatem quamlibet determinatè sumptã, & quæ possint impedire difformitatem quamlibet minorem, quam maiorem quamlibet difformitatem. Pro singulis namque oportunitatibus operandi vnicuique occurrentibus adsunt singula motiua in vtramque partem, hoc est, adsunt totidem causæ valentes inducere difformitatem eàdem ratione, quà singula Indiuidua collectionis alicuius possunt eandem inducere. Eadem igitur ratione, qua ibi conclusum est, impossibilem esse moraliter vniformitatem collectionis quamplurimorum Indiuiduorũ perfectè indifferentium ad vtramque partẽ, & difformitates quò sunt minores, eò esse minùs sperabiles, concluditur etiam in præsenti impossibilem esse moraliter totalem vniformitatem semper bene, aut semper malè operandi in vnoquoque indiuiduo similiter indifferenti, pro occasionibus, & differentijs temporum similiter multiplicibus. Nec non paruam eiusmodi difformitatem contingere in paucioribus, in plerisque verò aliquam ex ijs difformitatibus, quæ magis accedunt ad maximam, quàm ad minimam omnium difformitatum, ac proinde plerosque homines sæpe vitare, sæpe non vitare peccata venialia; idque non omninò per accidens euenire; sed cum fundamento, ex parte actus primi, maioris probabilitatis, & spei, ac timoris ita fore, quàm fore opppositio modo. Oportet verò pro claritate istarum comparationum considerare attentè, quæ dicta sunt quæst. illà 5.

Ad 1. Potentia vitandi singula seorsim successiuè successione nunquam interruptà, ea verò est potentia vitandi omnia collectiuè; non verò potentia vtcumque vitandi singula seorsim successiuè. Quia si tantum datur

datur potentia vitandi cum successione, interruptà, non propterea data erit potẽtia vitandi totam collectionem collectiuè, cui videlicet sic sumptæ opponitur contradictoriè quælibet interruptio. In obiectione autem solùm probatur potentia vitandi successiuè successione interruptà.

Ad 2. Obseruandum est in casu obiectionis cognitionem vitationis peccati continuatæ per nouem occasiones, tanquam præmissam inferre, iuxta doctrinam nuper indicatam, cognitionem moraliter certam de peccato exituro in decimà occasione: Vitationem tamen ipsam præcedentem à parte rei, non habere similem vim determinandi voluntatem ad peccandum in decimà occasione. Quia vel non adest pro tunc talis vitatio, nec per se, nec per aliquem suum effectum; vel si adsit aliquo modo potius inclinat ad vitandum, etiam tunc peccatum. Quare dicendum est adesse in decimà occasione potentiam moralem antecedentem non peccandi coniunctam cum impotentià consequenti, quo eodem prorsus modo, dicendum est adesse eandem potentiam, & impotentiam, pro primà occasione, si supponatur futurum esse, vt vitetur peccatum in sequentibus nouem occasionibus: Quam tamen impotentiam patet vtrobique esse purè extrinsecam, & intentionalem, cum reipsà à parte rei eadem omninò vniformis existat potentia moralis respectu singulorum seorsim, ac determinatè, cum impotentia morali vaga respectu collectionis eorumdem. Videatur quod in simili dictum est quæst. 5. ad 4.

Ad 3. Negandum est pro statu Naturæ puræ adfuturam potentiam moralem vitandi totam collectionem venialium collectiuè.

Sum-

sumptam per longum tempus. Quia ratio superiùs posita conuincit etiam pro eo statu. Iam verò, ad hoc vt aliquis euentus sit omninò naturalis, non necesse est, posse ipsum moraliter contingere: sufficit enim si contineatur in virtute actiuà physicà causarum naturalium, vt pote quæ nihil in se continent adæquatè, nequidem physicè, quod naturale non sit. Quod ad Legem attinet, potest ea absolutè obligare ad omnè, quod est physicè possibile. Quia vis præceptiua superioris, peruenit quo vsque physicè peruenit vis physica executiua Inferioris, si nullum aliunde adsit inconueniens. Tota namque vis executiua Inferioris subest superiori illimitatæ Iurisdictionis, qualis est Deus, secundum totum & qualecumque suum posse. Inquam verò, si nullum aliunde adsit inconueniens. Quia ex Lege obliganti per se, & independenter à culpà subditi ad aliquid moraliter impossibile sub lethali, sequuntur inconuenientia proposita quæst. 3. Ea verò cessant respectu peccatorum venialium; quia necessitas moralis aliquando in ea labendi cohæret cum possibilitate morali, & spe prudenti beatitudinis obtinendæ, & compensatur per necessitatē moralem eadem vitandi sæpe meritoriè, & redimendi ad æqualitatem, imò etiam cum excessu, quæ commissa fuerint, per opera meritoria. Denique illa potentia est frustra, quæ in nullo suo effectu potest reduci, aut in nullo reducitur per se actum secundum consideratà specie effectus; non verò quæ non potest reduci, aut non reducitur, consideratà solà multitudine. Hoc enim pacto nulla causa non esset frustra. Quia cuiusuis causæ effectus numero distincti sunt infiniti; & per consequens non exsequibiles collectiuè.

QVÆ-

# QVÆSTIO XV.

## Vtrum Auxilia actualia Gratiæ constituantur adæquatè per Illustrationes & Inspirationes supernaturales?

VIDETVR non constitui per eas adæquatè. 1. Quia vnusquisque in ordine naturali redditur benè, aut malè; plus vel minùs dispositus ad operādum moraliter, per qualitates purè physicas Animæ, & Corporis: Alia namque est dispositio tempore, ægritudinis, ab ea, quæ est tempore sanitatis: Alia post somnum, & prandium, ab ea, quæ est post inediam, & vigiliam; & sic de cœteris eiusmodi, in quibus sola apparet diuersitas penes qualitates purè physicas; potest autem Deus in ordine supernaturali totidem modis operari, quot modis potest in ordine naturali. Potest igitur disponere ac iuuare voluntatem per motiones, ac qualitates purè physicas, non minùs quàm per actus Intentionales illustrationū, & operationum. Ergo auxilia Gratiæ, quibus potest iuuare Deus voluntatem humanam, non constituuntur adæquatè per Illustrationes, & Inspirationes, seu pias affectiones.

2. Inter Auxilia Gratiæ continentur habitus supernaturales à Deo infusi, qui per seipsos habent vim inclinandi & pertrahēdi voluntatē, & inclinare quò voluerit, per

per qualitates, & motiones actuales purè physicas, & non solum per cognitionem motiuorum salutarium, & complacentiam in eisdem.

3. Concursus Dei vniuersalis exhibitus à Deo respectu actuum salutarium habet rationem Gratiæ actualis,& quidem eius Gratiæ, de qua nonnulli Theologi putant fuisse præcipuã controuersiam Augustini & aliorum Patrum cum Pelagio, ob ea testimonia, quæ indicata sunt quæst.11. Ad 1. §. *pro efficacia*. Ergo aliquid aliud præter illustrationes & inspirationes pertinet ad Auxilia actualia Gratiæ.

R. Certum est, non licere Theologis vt inducant inter Auxilia Gratiæ ea quæ in Concilijs, & Patribus non reperiuntur expressa aut satis indicata; Quandoquidem omnis doctrina de Gratiâ, ex solâ Dei reuelatione descendit, eàque iuxta legitimũ sensum scripturarum innotescit per Concilia & Patres. In ijs autem solæ reperiuntur Illustrationes Intellectus, & Inspirationes voluntatis,quarum est frequentissima in illis expressio,quin vlla vnquam fiat vel expressio, vel insinuatio qualitatis, aut motionis purè physicæ; sed prorsus oppositũ. Certè Concilium Mileuitan. can. 4. volens exponere Naturam, & munera Gratiæ, solum definit, *per Gratiam reuelari nobis intelligentiam mandatorum, darique simul, scire quid agere debeamus, & diligere vt faciamus.* Quæ omnia sunt purè intentionalia. Similiter August.l.2.de Bapt. paruul.c.17.*Vt autem*, ait, *innotescat quod latebat, & suaue fiat, quod non delectabat, Gratia Dei est, qua hominum adiuuat voluntates*. Quæ doctrina vtrobique esset defectuosa,& insufficiens,si aliquid prætereà purè physicum superesset.

Vrgen-

Vrgentius est eandem in rem, quod habetur c.7.de Peccat. mer.*Cum autẽ*, ait, *ab illo illius adiutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque iustitiam, quid aliud deprecamur, quàm vt aperiat quod latebat, & suaue fiat quod non delectabat?* Vbi ponderanda est particula exclusiua, *Quid aliud*, per quã excluduntur à ratione Adiutorij Dei omnia aliæ præter Illustrationem, quæ sola aperit quod latebat; & piam affectionem, seu Inspirationem, quæ sola suaue facit suauitate delectanti, quod non delectabat. Licet autẽ particulam eiusmodi exclusiuam nõ habeat, vigoris tamen haudquaquam minoris est venusta expositio efficacitatis conuenientis Gratiæ adhibita ab eodem Augustino tract. 26. In Ioan. col.2. ad illud. *Nisi pater qui misit me traxerit eum. Quomodo*, ait, *voluntate credo, si trahor? Ego dico parum est voluntate, etiam voluptate traheris.* Paucisque interiectis. *si Poëtæ dicere licuit; Trahit sua quemque voluptas. Non necessitas, sed voluptas, non obligatio, sed delectatio. Quantò fortiùs nos dicere debemus trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate?* Et mox apponit exemplum: *Ramum viridem ostendis oui, & trahis illam. Nuces puero demonstrantur, & trahitur.* Vnde fidenter interrogando, infert. *Si ista trahunt, quoniam verum est Trahit sua quemque voluptas; non trahit reuelatus Filius à Patre? Quid enim fortius desiderat Anima, quàm veritatem?* In quibus cum sollicitè conetur Augustinus exprimere motionem, & efficaciam Gratiæ, solas exprimit cognitionem veritatis, & delectationem voluntatis. Videatur eadem doctrina terminis Scholasticis distinctiùs tradita apud D. Thomam, ad eumdem locum Ioan. 6. Lect. 5. vers. 3. q. 1. 9. *Sic ergo multipliciter.*

*pliciter*. Vbi tradit rationem à priori, ob quam impossibile est voluntatem moueri ad suum actum, qualitate aut motione vllâ purè physica: Quia scilicet voluntas est potentia rationalis; Ideòque solà ratione proponente bonitatem obiecti, & delectationẽ ad illam allicientem, moueri potest. Nulla namque vis purè physica immediatè inclinat, aut vllo pacto mouet ad volendum, & eligendum; vt quisque ex propriâ experientiâ, & ex ipsâ rei consideratione, atque comparatione cum rebus inanimatis, immobilibus immediate per aliquid intentionale, facilè conijciet. Huc respexit Concilium Senonense definiens, can. 15. *Trahit quidem; sed in eius odorem currimus, non vi, non unco raptamur*.

Efficacissima istarum Auctoritatum, & rationis confirmatio desumitur ex Sacris Literis significantibus vbique Auxilia diuinæ Gratiæ, vniuersim omnia, per verba pulsandi, vocandi, inuitandi, tangendi, & similia exprimentia clarè vim Illustrationum, & piarum affectionum; nec vnquam vsurpato verbo, quod accomodari idoneè possit qualitati, aut motioni purè physicæ, quatenus immediatè mouenti voluntatem. Et quidem quòd verba illa solam Illustrationem, & Inspirationem significent, constat quoad verbum *Tangendi*, ex Concil. Trid. aiente sess. 6. cap. 5. *Tangit autem Deus Cor hominis per Spiritus Sancti Illuminationẽ*: Quoad reliqua verò; quia pulsari, & vocari non potest homo, & multò minùs inuitari, quin sentiat, & nisi quatenus sentit vocantem, & pulsantem, & quin suauiter per inuitationem alliciatur, & afficiatur; & nisi quatenus sic allicitur, & afficitur. Constat igitur ex his omnibus Auxilia actualia Gratiæ adæ-

quatè constitui, per solas Illustrationes Intellectus, & Inspirationes, seu pias affectiones voluntatis à Deo immissas.

Ad 1. Qualitates physicæ siue ad corpus, siue ad Animam spectantes solùm mediatè disponere ac mouere voluntatem, sic vel aliter possunt, quatenus calor, & humiditas rarefaciunt & dilatant spiritus vitales, & sẽsoriũ cõmune. Frigiditas verò, & siccitas cõdensant, ac cõtrahũt ex quo deinde prouenit maior, vel minor, augustior, aut tenuior apparentia phantasmatum, ex qua demum, suboritur cognitio magis, vel minus perfecta, circa talia vel talia obiecta, quæ iuxta suam diuersitatem est causa formalis immediata diuersæ dispositionis, & motionis in voluntate. Similiter qualitates Physicæ siue doloriferæ, siue delectatrices diuertunt, aut applicant Animum diuersimodè ingerendo voluntati diuersas cognitiones, cum dispari intensione; nec fieri potest vt aliter voluntatem moueant, ac impellant ad aliquid; aut meliùs deteriusuè eandem disponant. Pariter ergo in ordine supernaturali potest Deus per donum externæ protectionis facere vt redeundent in homine ex causis naturalibus qualitates physicæ, ex quibus deinde suboriantur modo dicto cognitiones, & complacentiæ, quibus voluntas immediatè moueatur, aut simpliciter, aut magis ad bonum honestum, & minus moueatur, aut non moueatur ad bona temporalia, talia, vel talia. Cœterum fieri non potest, vt per eiusmodi qualitates purè physicas Animæ, aut Corporis proprias voluntas immediatè moueatur, inclinetur, aut determinetur, ob rationem iam datam.

Ad 2. Habitus neque naturales, neque supernaturales habent vim inclinandi, ac per-

per trahendi voluntatem immediatè per se ipsos; sed mediatè per cognitionem experimentalem maioris facilitatis, maiorisque intensionis, atq. inde delectationis, quà fiunt actus præexistente habitu, quàm si habitus non præexisteret: Sicut explicatũ est in qq. de virt. in comm. Habitus supernaturales habent præterea vim mediatã inclinãdi per Auxilia actualia supernaturalia, quæ subsequuntur ad ipsos, iuxta proportionem eorũ.

Ad 3. De concursu generali Dei, vt fuerit aliqua controuersia cum Pelagio, Controuersia certè præcipua nequaquam fuit de tali auxilio. Quia August. Ep. 95. paulo post init. & Ep. 105. ad med. Semel atque iterum clarissimè protestatur sibi, & cœteris Catholicis non esse controuersiam cum Pelagio de eà Gratiâ, quam cum Impijs habemus communem, cum quibus homines sumus; sed de eà peculiari, quà sumus Christiani, & filij Dei; neque de illà, quæ ad donum Creationis necessariò consequitur; sed de ea, quæ gratuitò superadditur ijs, quæ per creationem habemus. Constantissimum autem est apud omnes admittentes, agnoscentesque necessarium concursum Dei generalem, & immediatum cũ causis secundis, eum esse communẽ pijs & impijs; & deberi ex natura rei supposita creatione.

Igitur Concursus Dei Generalis pertinet ad Auxilia Gratiæ Dei definita & protecta aduersus Pelagium solùm indirectè, idque duplici ratione. Primò quia Pelagius negauit necessitatem Gratiæ Dei, opponendo interitum Libertatis per talem necessitatem: quod æquè militat, si non & magis apparenter, aduersus necessitatem concursus diuini immediati. Secundò quia Deus per eundem suum concursum immediatum coo-

peratur formaliter omnibus, & singulis causis creatis, tam naturalibus, quàm supernaturalibus. Vnde cùm eliciuntur Actus supernaturales, non solum completur per talem concursum actiuitas volūtatis, quoad formalitates effectus præscindētes à naturali, & supernaturali, sed etiā Actiuitas auxilij Gratiæ quoad formalitates effectus, quatenus supernaturales, atq. quoad istas posteriores formalitates, est formaliter supernaturalis, ac indebitus Naturæ, & superadditus dono Creationis absolutè, tum in actu primo, tum in actu secundo, non minùs, quàm dona supernaturalia creata; licet his suppositis, ille etiam sit debitus, eàdem ratione, quà debitus est voluntati creatæ quoad actus sibi connaturales. Demum Deus Concursu suo generali, siue vt connaturali, siue vt supernaturali non inclinat, neque allicit voluntatem ad vnam partem, potiusquàm ad oppositam ratione sui præcisè; ac proinde hac etiam ratione numerari non potest directè ac formaliter inter auxilia Gratiæ Dei, de quibus specialiter docemur per Concilia, & Patres.

QVÆ-

# QVÆSTIO XVI.

## Vtrum rectè diuidatur Gratia in Præuenientem, & Comitantem, Operantem &c.

VIDETVR non rectè diuidi. 1. Quia ratio communis non cõtinens sub se nisi duas differentias vnà solùm diuisione diuidi potest. Dictum autem est Gratiam non continere sub se nisi duas solum differentias, nempe illustrationes Intellectus & Inspirationes voluntatis. Ergo in eas solùm diuidi semel potest.

2. Deus antequam conferat Gratiam, sæpè expectat, vt homo faciat, quantum est in se, quæ doctrina est D. Thomæ docentis Nutritum in Syluis, si obseruet Legem naturalem, nec lethaliter vuquam peccet, tandem aliquando vocandum esse, ac pertrahendum ad fidem per Gratiam. Ergo non rectè tribuitur Gratiæ Dei in genere, ratio Præuenientis; siquidem contingit eam præueniri à Libero Arbitrio.

R. Expositâ in præcedentibus necessitate Gratiæ pro omnibus, & singulis statibus humanæ Naturæ, & ad omnia, & singula operum genera, consequens iam est vt explicetur, quibus modis, & quatenus Gratia subueniat indigẽtiæ Liberi Arbitrij. Solent autem munera Gratiæ & titulos, ob quos necessaria est, exponere Theologi varijs eius diuisionibus, in Præuenientem, seu Antecedentẽ; & Comitantem, ac subsequentem,

tem; Operantem, & Cooperantem; Excitantem, & Adiuuantem; Sufficientem, & Efficacem. Postrema ista diuisio prætermittenda omninò erit, ob silentium eius Examini indictum à Sede Apostolicâ. Reliquæ tres, diuersimodè quidem, sed rem prorsus eandem significant in recto. Eidemque significandæ alias præterea complures voces & locutiones vsurpant Concilia, & Sãcti Patres, pro quarum notitiâ vtili ad eorum intelligentiam videri potest Montoya disp. 28. de Prouid. fine, vbi obseruat eruditâ, quâ solet, diligentia quinquaginta phrases expressiuas Gratiæ præuenientis. Dicitur, autem Præueniens, & Antecedẽs, quatenus data ante merita, conatusque nostros, atque ab eisdem independens: Comitans verò & consequens; quatenus conatui meritòque nostro coëxistit, aut vi eiusdem inducitur. Nuncupatur Operans quatenus præstat aliquid, nondum exhibente quidquam libero Arbitrio. Cooperans verò, quatenus simul cum Libero Arbitrio efficit opus Salutare. Excitans appellatur, quatenus torpentem, neque quidquam adhuc agentem impellit, stimulatque voluntatem, & monet officij: Adiuuans verò, quatenus Libero Arbitrio insufficienti ex se adiungit vires suas, & opere indiuiduo, cum agente agit.

Diuisionibus istis fundamentum præbuit, & rem omnem illis subiectam expressit potissimùm Augustinus, cap. 17. de Grat. & Lib. Arbit. Quis, ait *istam Agens, etsi paruam dare cœperat charitatem, nisi ille, qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit? Quoniam ipse, vt velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Vnde Apostolus: Certus*

*sum,*

*sum, quoniam qui operatur in nobis opus boni perficiet in diem Christi IESV. Vt ergo velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, & sic volumus, vt faciamus, nobiscum cooperatur; tamen sine illo, vel operante, vt velimus; vel cooperante cum volumus, ad pietatis opera nihil valemus.* Idem habet lib. sent. 22. quæ sub ijsdem verbis est nonus inter Canones Concilij Arausicani. *Quotiescumque bonum operamur, Deus in nobis, atque nobiscum, vt operemur, operatur.* Quo loci, ly *In nobis*, perinde valet; atque nobis nondũ cooperantibus, tùm quia ea phrasis in hoc sensu est familiaris Augustino: tum quia, *In nobis* ponitur comparatiuè ad *Nobiscum*, eidemque contraponitur tamquam oppositum. Ly autem, *Nobiscum*, idem est atque, nobis cooperantibus. Quare particula, *In nobis*, idem significat in posteriori testimonio, quod in præcedenti significat particula, *Sine nobis*, dum dicitur: *Vt ergo velimus sine nobis operatur.*

Iam particula, *Sine nobis*, triplicem potest excludere cooperationem nostram; physicã, liberam, & meritoriam. Gratia præueniens cooperationem nostram physicam est causa in actu primo proximo sufficiens ad inducendas illustrationes, & pias affectiones salutares. Præueniens solam cooperationem liberam sunt eædem Illustrationes, & piæ affectiones, quæ immittuantur à Deo, quin impediri nostrà libertate possint, nobis tamen cooperantibus physicè: quod esse, commune atque essentiale omnibus actibus Intellectus, & Voluntatis supponitur modo ex alibi dictis; nec necesse est ampliùs in præsenti stabilire. Quia parum interest, pro hoc puncto, & scopo Augustini, atque Concilij Arausicani, vti mox apparebit,

Gratia denique præueniens nostram cooperationem meritoriam, est ipse actus noster liber salutaris meritorius subsequentium Auxiliorum,& meritorum, non præsupponens vllum aliud meritum, propter quod ipse retribuatur.

Ex triplici istà cooperatione sola postrema intelligitur, & excluditur à Gratiâ præueniente per particulam, *fine nobis*. Quod suadetur primò. Quia Augustinus eo in loco, vti & in alijs omnibus operibus posterioribus contra Pelagianos, solùm contendit, Gratiam non propter merita nostra dari; & ideò sine nobis illam dari; quia nobis nondum merentibus datur prorsus indebita. 2. Quia illa sententia, *Ipse vt velimus, fine nobis operatur*; non potest aliter cohærere cũ illâ alia, ex lib. 1. ad Simplic. q. 2. ante med. *Vt velimus, suũ esse voluit, & nostrũ; suuũ vocãdo; nostrũ sequendo*. Hìc enim ly, *vt velimus*, nõ potest significare solũ piã affectionẽ, & complacentiã indeliberatam; quæ scilicet, neque Dei est vocando, neque nostra sequendo: Siquidem, neque ad illam vocat nos Deus, neque nos per eandem ipsum sequimur; sed vocamur ad consensum efficacem, & tunc sequimur, cùm eum exhibemus. Tertiò, ex cap. 5. de Grat. & Lib. Arbit. ibi. *Vt Apostolus Paulus de Cœlo vocaretur, & tam magnâ & efficacissimâ vocatione conuerteretur, Gratia Dei erat sola, quia merita eius erant magna, sed mala.* Vbi clarè distinguit vocationem Paulo non liberam, à Conuersione eidem libera, & de vtraque promiscuè pronuntiat Gratiam Dei fuisse solam, eiusque assertionis hanc vnicam reddit rationem. Quia merita bona nulla erant.

Itaque non solùm habet rationem Gratiæ

præ-

præuenientis, ideſt, eius, quam Deus ſine nobis operatur, & quæ eſt pura Gratia, ea quæ ſine vllâ noſtrâ cooperatione phyſica antecedit ad Illuſtrationes & pias affectiones ſalutares, aut iſti ipſi motus indeliberati, qui à nobis efficiuntur, ſed non liberè: verum etiam actus efficaces nobis liberi ac meritorij dummodo facti ſint nullo noſtro præexiſtente merito, ob quod ipſi, vel ſufficientia ad ipſos debita nobis eſſet. Quare primus Actus conuerſionis ad Deum, eſt vera Dei Gratia præueniens, quâ Deus nobis opitulatur ad reliquum Iuſtitiæ ſalutaris progreſſum. Quam rationem Gratiæ non habent Actus ſalutares poſtea ſubſequentes ad conuerſionem; nec Gratia præueniens dicitur ſimpliciter auxilium immediatè deſeruiens ad illos eliciendos. Vnde Auguſtinus de prædeſtinatione ſanctorum c. 2. ac deinceps docet; Si fides non haberetur ex Gratia, vt olim ipſe putauerat, atque Pelagiani, & Semipelagiani ſemper pertinaciter aſſerebant, reliqua poſteà ſubſequentia opera non futura eſſe ex Gratiâ, & fore, vt non præueniret Deus homines, ſed homines Deũ, contrà quàm clamat Scriptura.

Eſt alia prætereà ratio, ob quam omnia Auxilia Gratiæ actualis habeant vniuerſaliter rationem Gratiæ præuenientis reſpectu eius actus, ad quem vnumquodque eorum deſtinatur, nimirum in ratione conferentis ſufficientiam ad opus. Deus enim per Gratiam ſuam præit tanquam ſufficiens ex ſe, ad opus ſalutare exequendum, & conferens nobis ſufficientiam, quam minimè habemus ex nobis, iuxta illud Pauli 2. ad Corinth. 3. 5. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra, ex Deo eſt.* Quoniam autem ma-

gni momenti est ob oculos habere, ac intimè penetrare genus istud præuentionis, obseruanda est quædam antithesis testimoniorum, cuius solutione id percipietur clarissimè. Dicit Augustinus Epist. 105. *Quod promittit Deus, non facit nisi Deus.* Et rursus. *Vt homo se facere dicat, quod promiserit Deus, superbæ impietatis est.* Promittit autem Deus omnes actus nostros liberos salutares, vt constat ex 11. Ezech. 19. *Auferam cor lapideum de corde eorum, & dabo eis cor carneum;* idest, *voluntatem obedientem, consentientemque mandatis*, vt exponit sæpe Augustinus, & significat idem Propheta subdens immediatè: *Vt in præceptis meis ambulent, & Iudicia mea custodiant, faciantque ea.* Ergo nihil horum faciunt homines, & superbæ impietatis est, si dicatur quidquam eorũ ab eis fieri. At impietatis est nequaquã minoris si dicatur id nõ fieri, quod promittit Deus, id'ue fieri non posse, quod ipse præcipit. Præcipit autem per eundẽ Prophetã c. 18. Vt faciamus cor nouum; & spiritum nouũ promittitque facturum vt faciamus. Hæc duo, quo pacto inter se cohærere possint, nõ facilè apparet, vrgente difficultatem Augustino, duplici ista interrogatione c. 15. de Grat. & Lib. Arbit. *Quomodo ergo, quod dicit, facite vobis, hoc dicit, dabo vobis? Quomodo non facimus, quod promittit Deus, quan- [illegible] facturum, vt fa- [illegible] do ipse promittit se [illegible] -iamus?* Huius tantæ difficultatis respon- [illegible] o maximè idonea habetur apud eundem Aug- [illegible] e prædest. Sanct. c. 10. Vbi de promissione fidei Gentium factà Abrahæ. *Non de nostra*, subdit, *voluntatis potestate; sed de sua prædestinatione promisit: alioqui vt Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum esset potestate:* nimirũ ex se sufficienti, vt volebat Pelagius.

Hic

Hic igitur titulus sufficientiæ conuenientis Deo, & eius Gratiæ ex se, & deficientis homini ex se, veram reddit illam primam propositionem: *Quod promittit Deus, non facit nisi Deus*; & constituit Deum atq; eius Gratiam in ratione operantis in nobis, sine nobis quotiescumque salutariter operamur; quatenus proxima sufficientia operandi tribuitur nobis à Deo per Gratiam, nondum quidquam agentibus nobis, quoad habendã eandem sufficientiam; licet eà habita verè postea cooperemur cum Gratia; eaque ratione verificetur, nos etiam facere consequenter, quod promittit Deus.

Vltima demum causalitas Gratiæ, ratione cuius Deus nos præuenit in ordine ad omnes actus nostros; tametsi præsupponant merita antecedentia, est in genere præparantis voluntatem, & præeligentis nostrum opus bonum. Præparat enim Deus voluntatem nostram antequam eliciat actum quemlibet salutarem, per eam gratiam, ad quam cognoscit reipsà subsecuturum esse talem actum, eamque confert voluntate præfinienti, ac præeligenti efficaciter absolutè & determinatè existentiam eiusdem actus. Quo in genere nihil circa seipsam aut circa suum actum operatur nostra voluntas. Nam etsi habeat absolutè in suà liberà potestate, concesso iam sibi Auxilio Gratiæ, elicere actum & non elicere; Non tamen habet in sua liberà potestate, vt sibi cõferatur auxilium, quod si conferatur, reipsa operabitur bene; vtque per illud ipsa præparetur: Nec præeligit actum bonum, quem, posito auxilio, elicit; sed hæc omnia præstat Deus, & dum præstat, operatur in nobis sine nobis; Idest, nobis nihil agentibus in eo genere; sed Deo solo praoperan-

te. Operatur verò sic vt operemur, non, quia operamur, aut operati sumus. Hæc est Gratia, & vocatio secundum propositum, & propria Electorum, vsque adeò familiaris Augustino, ratione cuius vel maximè prædicat totum esse Dei, & nihil nostrum, & similia vbique obuia apud ipsum denotantia Gratiam, quatenus operantem, quoties salutariter operamur, propter præparationē, & prædestinationem seu præelectionem diuinam. Qua de re nemo dubitauerit, si legat obseruanter Libros de Prædest. Sanctorum, & de dono Perseuerantiæ, qui ferè toti in hunc scopum diriguntur. Do specimen ex cap. 5. de Prædest. Sanct. fi. vbi ad illud. *Quis te discernit?* increpans tribuentes sibi fidem: *Non quia credere*, ait, *vel non credere, non fit in arbitrio voluntatis humanæ, sed in Electis præparatur voluntas à Domino; discernendum est vtique, quid veniat de misericordiâ eius, quid de Iudicio*. Præparationem istam, appellat ibi Electionem, Discretionem, Misericordiam; frequentiùs verò tum ibi, tum alibi Vocationem secundùm propositum; atque ibidem c. 3. dolenter meminit, se non satis de illa egisse in quæstionibus ad Romanos. Ait enim: *Sed parum de ipsa vocatione disserui, quæ fit secundum propositum Dei; Non enim omnium, qui vocantur, talis est, sed tantum Electorum*. Deinde l. 1. ad Simpl. q. 2. & in Enchir. ad Laur. cap. 32. rationem, ob quam non sit volentis, neque currentis nostra Conuersio, Iustitia, & Salus deducit ex præparatione istâ, & vocatione secundùm propositum. Indidem etiam deducit cum Cypriano in citato cap. 5. & alijs locis Librorum de Prædest. & Perseu. In nullo esse gloriandum, quando totum est Dei, & nihil nostrum. Vtrumque verò deducitur opti-

mè,

mè. Quia præparatio ista, & vocatio secundum propositum fiunt sine nobis, & absque vlla nostra cooperatione, merito, aut exigentia. Atque illis positis sequitur infallibiliter operatio nostra; ita vt repugnet nos non operari salutariter in sensu composito ipsatum. Rectè ergo tribuitur Deo, quatenus sic operanti, nostra Conuersio, tota Iustitia, & salus, ratione Præparationis, & Vocationis secundum propositum præeuntis aliquo pacto exercitium liberum nostræ voluntatis; & nos quasi nihil, & quasi merum Instrumentum comparamur sub eà ratione, licet sub aliâ exerceamus munus causæ immediatè, & principaliter agentis respectu omnium actuum salutarium, vt partim dicetur quæst. 18. partim alibi.

Tot igitur modis Gratia Dei dicitur & verè est Præueniens, seu Operans, vt loquũtur Theologi, seu, quæ fit in nobis sine nobis, vt loquitur Augustinus. Frequentissimè tamen omnium significatur, eà voce, Gratia, quam operatur Deus in nobis sine nobis liberè operantibus. Vnde Canon ille 20. Arausicani. *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo*; Accipitur communiter à Theologis de Homine non faciente liberè, licet cooperetur influxu purè physico. Nempe dum agitur de Homine, & de operatione humanâ, non habetur ratio de operatione non liberâ, quia ea sola propriè humana est, quæ libera est. In hanc maximè acceptionem incumbit Augustinus toto ferè libro de Gratiâ & Lib. arbit. Accipitur etiã non admodum infrequenter pro eo dono salutari, siue libero nobis, siue necessario, quod Deus dat nobis illud non merentibus. In istam Gratiæ Præuenientis acceptionem incumbit maximè Augustinus toto ferè lib. de

de prædest. Sanct. quatenus in eo Libro intendit probare contra Semipelagianos, Deũ Gratiâ suâ præuenire omnia nostra qualiacumque merita, tam de congruo, quàm de condigno. Atque ideò neque fidem, neque petitiones & pia desideria, aliàue vlla initia & semina Iustificationis concipi posse, quin Deus per suam Gratiam nos præueniat; eaque proinde omnia conferat purè gratuitò & liberaliter. Quælibet denique salutaris illustratio, & affectio voluntatis, siue necessaria, siue deliberata; siue prima, siue intermedia; siue præsupponens, siue non præsupponens aliquod meritum respectu sui; dicitur Gratia Præueniens, dummodo vi suà inferat aliquem alium actum salutarem, quatenus respectu eius confert antecedenter sufficientiam, & præparat voluntatem, vti constat ex locis Augustini, quæ paulò ante præmissa sunt. Quare ijdem actus, eademque auxilia sunt præuenientia, & antecedẽtia respectu aliquorum actuum, simulque subsequentia & cooperantia respectu aliorum. Expedit autem varias istas Gratiæ præuenientis, & operantis; seu quam Deus in nobis sine nobis operatur, Acceptiones diligenter animaduertere, ne cui allucinari, & implicari contingat, vt contingit nonnullis Theologis, dum inspecto seorsim aliquo loco Augustini, vel alterius, intenditur conformitas cæterorum omnium, cum illo sub eodem sensu, cum sit reipsa multiplex, vt patuit.

Obseruandum præterea est ab Augustino & alijs Patribus, non comprehendi saltem distinctè sub Gratia præueniente, Gratias habituales, & illas siue species impressas, siue habitus, siue auxilium extrinsecum quibus eliciuntur illustrationes, & inspirationes

diuinæ

diuinæ, præsertim primæ deseruientes ad primum actum conuersionis; sed sola auxilia Gratiæ actualis, siue Illustrationes, & Inspirationes diuinas. Quia hæc sola erant indubitata illis temporibus, & ex sacris literis testatissima; Cùm existentia & infusio habituum supernaturalium, tempore etiam Concilij Viennensis, esset incerta, profectò non certa ex fide, vt dicetur quæst. 2. de Virtut. Theol. Cœterùm seruatâ proportione accommodari possunt ac debent habitibus, etiam supernaturalibus, quæ dicta sunt de Gratia præuenienti & Operāti. Ex quibus omnibus constat diuisiones Gratiæ initio memoratas, & rectè fieri & esse valde vtiles. Vtiles quidem ad intelligentiam doctrinæ Conciliorum & Patrum præsertim Augustini circa munera Gratiæ, & titulos ob quos ea necessaria est, vt liquet ex præmissis. Rectè verò fieri; quia vtrumlibet ex extremis diuisionis cuiusque, ex supra memoratis, explicat prædicatum aliquod Gratiæ non satis manifestum, per alterum extremum, nec per vllam aliam diuisionem, vt apparet ex singulorum expositione præmissa initio Quæstionis.

Ad 1. Ratio communis continens sub se duas tantùm differentias realiter inter se distinctas; potest nihilominus multipliciter diuidi logicè, secundum multa prædicata ratione inter se distincta, relatè ad plura cōnotata, & effectus realiter inter se distinctos. Constitit autem eiusmodi esse prædicata contenta in superioribus Gratiæ diuisionibus.

Ad 2. Multa auxilia Gratiæ cōfert Deus, postquam homo fecit quantum est in se; sed nunquam homo præuenit per vllum suum conatum & actum bonum omnia auxilia

Gratiæ

Gratiæ Dei. Quia Deus operatur in nobis sine nobis, vt dictum est ex Concilio Arausicano, & ex Augustino; Idest, præuenit omnem nostrum conatum, & actum, vt ex vtriusque expensione manifestatum est. Iam D.Thomas docet quidem obseruantem Legem naturalem, quin vllum committat peccatum lethale, vocari tandem ad fidem; sed nunquam docet obseruantiam Legis naturalis, & vitationem omnium peccatorum lethalium, cuiquam aliquando contingere, absque auxilio Gratiæ Dei; Imò docet oppositum clarè loco indicato quæst. 12. Mens igitur D.Thomæ est; qui sequitur ductum fidei imperfectæ & inchoatæ immissæ à Deo ante prædicationem fidei, vocari tandem aliquãdo, ad fidem perfectam & explicitam; de quo aliàs.

## QVÆSTIO XVII.

### Vtrum auxilia actualia Gratiæ exhibeant influxum physicum in actus salutares?

VIDETVR non exhibere; 1. Quia actus indeliberati naturales non influunt efficienter in actus deliberatos naturales; Ergo nec supernaturales in supernaturales. Patet consequentia, ob similem vtrobique rationem proportionis; & quia vtrobique est eadem ratio maioris imperfectionis in actibus indeliberatis quàm deliberatis, fundans impossibilitatem, vt priores efficienter influant in posteriores: Cum è conuerso

causa

causa debeat esse perfectior, quàm effectus.
Probatur antecedens, tùm ex communi sẽtentiâ, cuius anctoritate nititur Tannerus; Tùm quia Intellectus & Voluntas, cum iisdem solis comprincipijs, cum quibus eliciunt actus indeliberatos, sunt sufficientes ad eliciendos deliberatos, nec opus habent communicare mediatè perfectionem, quam continent in se immediatè. Dictum autem est auxilia actualia Gratiæ esse actus indeliberatos supernaturales Intellectus & Voluntatis.

2. Illustratio Intellectus non influit efficienter in actum voluntatis directum per ipsam. Ergo nec simplex complacentia, in complacentiam efficacem. Patet consequẽtia, quia fundamenta causalitatis auxiliorũ Gratiæ sunt communia Illustrationi & Inspirationi diuinæ. Probatur antecedens. Tùm quia actus Intellectus & Voluntatis sunt diuersi ordinis; neq; vlla inuicem perfectione conueniunt, quæ possit ab alijs in alios deriuari: Tùm quia Intellectiones se tenent ex parte obiecti; Ideoque non possunt simul se tenere ex parte potentiæ in genere causæ efficientis.

3. Si voluntas cum solà illustratione, piâ affectione, & concursu generali posset elicere actus deliberatos salutares, habitus supernaturales non darent simpliciter, sed tantùm facilè posse: quod tamen est contra commune Theologorum effatum, statuentium hoc discrimen habituum supernaturalium à naturalibus; quòd hi tantùm facilè; illi etiam simpliciter posse tribuant.

4. Videtur exorbitare à communi Patrũ doctrinâ necessitas Gratiæ ratione actiuitatis, & influxus physici. Frequens enim doctrina Augustini est, vt apparuit quæst. 15.

Gratiam

Gratiam esse necessariam, & dari, *vt appareat quod latebat & suaue fiat, quod non delectabat.* Et cap. 2. de gest. Pelagij paulò ante med. *Sufficit enim sibi,* ait, *oculus ad non videndum, hoc est, ad tenebras: Ad videndum verò lumine suo non sibi sufficit, nisi illi extrinsecùs adiutorium clari luminis prabeatur.* In his autem & similibus manifestum est solam nos doceri causalitatem formalem Gratiæ, nec vllum esse actiuitatis physicæ indicium.

R. Certum est Gratiæ excitanti, seu Præuenienti, ac Operanti conuenire causalitatem formalem intentionalem, ac moralem, pro priori Naturæ ad existentiam actus, ad quem excitat, quem præuenit, & quem, vt operemur, operatur; quatenus informat voluntatem, eique proponit obiectum honestum, & eandem mouet, vt illud amplectatur: Ideoque hoc genere causalitatis iuuari voluntatem à Gratiâ, si eundem actum de facto eliciat, nec eum elici posse, nisi illà eatenus cooperante, res est apud omnes Theologos indubitata. Dubitatur autem, vtrum præter istum influxum moralem realiter communem ex parte Gratiæ, respectu Voluntatis operantis, & nolentis operari adijciat eadem Gratia actualis influxum, præterea physicum, quo efficienter immediatè concurrat ad actum, cum voluntas cõsentiens Gratiæ, erumpit in opus, ad quod vocatur? Affirmant Stapleton. Medin. Molin. Bellarm. Valent. Albelda, cum pluribus alijs. Nec pauciores multò sunt, cum quibus negant Lorca, Zumel, Tanner. Merat. Amicus.

Præferenda autem proculdubio est sententia tribuens Auxilijs actualibus Gratiæ influxum physicum immediatum in genere causæ efficientis, vltra moralem illum, quẽ exer-

exercent in genere causæ formalis. Quod suadetur primò. Quia Gratia Dei non solùm regit nos, sed etiam agit nos. Non enim solùm dicitur Ioan. 1. *Illuminat omnem hominem*, & similia, quæ ad excitationem & directionem formalem pertinent; sed etiam dicitur Rom. 9. *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filij Dei*. Plus autem est *Agere*, & *Agi*, quàm *Regere*, & *Regi*. Et illud priùs superaddit aliquid vltra hoc secũdum. Quod omnino agnoscit Augustinus circa eundem locum ad Romanos c. 3. de gest. Pelag. prope init. *Nam procul dubio*, ait, *plus est agi, quàm regi; qui enim regitur, aliquid agit, & ideò regitur, vt rectè agat. Qui autem agitur, agere aliquid ipse vix intelligitur*. Idem habet Prosper Sent. 130. ex Augustino, & indidem expositiùs Glossa ordinaria ad eundem locum Roman. *Plus est agi, quasi vix aliquid agentem, quàm regi, quasi iam aliquid agentem*. At istud *plus* locum non habet, si causalitati morali Gratiæ non superaddatur efficientia physica eiusdem. Quia quidquid est causalitatis moralis optimè & adæquatè exprimitur per directionem; habetque verbum *Agendi*, cum particula *Plus*, respectu Gratiæ, & *Vix*, respectu nostri, peculiarem efficientiæ physicæ significandæ energiam, ex parte Gratiæ. Nulla namque ratione dici posset voluntatem comparatam cum Gratia vix agere; si voluntas esset tota ratio agendi physicè. Eodem pertinet Gratiam Dei non solùm ostendere viam salutis, per quam ambulemus; sed etiam subministrare vires ne deficiamus in illa. Vires namque superadditæ ostensioni & manuductioni, atque illis comparatæ tanquam quid distinctum, nihil possunt esse aliud, quàm efficientia physica superaddita actiuitati physicæ voluntatis.

tis. Porrò subministrationem virium per Gratiam, vltra ostensionem viæ pluribus neruosè prosequitur Bernardus l. de Grat. & lib. Arbit. longè antè fin. *Non quicumque ostendit viam, præbet etiam viaticum itinerāti. Aliud illi exhibet qui facit ne deuiet, & aliud qui præstat ne deficiat in via. Porrò duo sunt mihi necessaria, doceri & adiuuari.* Et mox pergit ostendens vtrique necessitati subueniri per Gratiam, exhibentem proinde efficientiam & cooperationem physicam, vltra directionem, & allicientiam intentionalem ac moralem. Efficacissimum est eandem in rem celebre illud Cypriani, tanto plausu toties ab Augustino repetitum: *Totum tribuendum esse Deo*, ratione Gratiæ, eamque habere partes longè potiores in opere nostro salutari: quod ipsum est notissimum ex illo ad Rom. 9. *Non est volentis, neque currentis.* Iacob 1. *Omne datum optimum de sursum est.* Isai 26. *Omnia opera nostra operatus es nobis.* Circa quæ videri potest Augustinus plaudens, vt dictum est, sententiæ Cypriani: *In nullo Gloriandum, quando nostrum nihil est.* Plaudens verò sæpissimè, cap. 3. de prædest. Sanct. & c. 14. 17. & 19. de bono Perseu. & alibi. Quæ tamen subsistere nequaquam possent, si tota efficientia physica ad voluntatem pertineret, & ad Gratiam sola causalitas moralis. Quia respectu cuiusque effectus longè præeminet causa efficiens immediata & adæquata, causæ purè formali; vt pote præcontinens in se totam perfectionē effectus, & conferens illi immediatè totum suum esse. Et quis non magis acceptum referat quoduis donum danti, & exsequenti, quàm suadenti solùm, & allicienti ad dandū, & exsequendum?

Verùm omnium fortissimè hanc sententiā persua-

persuadent, & quanti ea momenti sit, ostendunt disputationes Augustini contra Pelagium, & definitiones Conciliorum contra eundem. Pelagius totus erat in commendandis viribus & sufficientia Naturæ. Augustinus è contra totus est in illis eleuandis; & in ostendenda imbecillitate, & insufficiētia Naturæ, atque in transferendo ad Gratiam; quidquid inde detraheret. Pro quo eminenti inter cœtera, & notissimo Controuersiæ capite videri possunt inter alia pænè omnia opera contra Pelagium Ep.90. 95.105.106.& 107. Vires autem & sufficientia, ac imbecillitas & insufficientia si non vnicè, certè præcipuè respiciunt actiuitatem physicè efficientem, vt liquet ex communi vocum istarum vsu. Confirmatur: quia si voluntas esset se solà sufficiens in genere causæ efficientis ad opera salutaria, & ad actus deliberatos, eo ipso esset sufficiens ad actus indeliberatos Intellectus & Voluntatis pertinentes ad idem genus, & versantes circa eadem obiecta, certè isti essent debiti ex natura rei voluntati iuxta principium nobis familiare, & confirmandū in quæstionibus de Sacramentis, de causà continenti efficiēter aliquem effectum eo ipso inducenti ex naturà rei reliqua omnia requisita, vt eadē causa totam suam actiuitatem exerceat in aliquo suo effectu. Vnde si Voluntas se solà esset sufficiens in genere causæ efficiētis ad actus salutares, eo ipso deberentur sibi Illustrationes, & Inspirationes iuuantes eandem in genere causæ formalis ad illos eliciendos, eadē ratione, quà debentur ex natura rei cuiuis causæ naturali omnia requisita ad effectus contentos adæquatè in ipsà, ac proinde tales Illustrationes & Inspirationes non haberent ampliùs rationem Gratiæ, qui erat totus scopus Pelagij.

Di-

Distinctiùs totum hoc patebit consideranti tria illa notissima Cõtrouersiæ capita, *Posse, Velle, & Agere*, de quibus ita censebat Pelagius, vt diceret, *solam Possibilitatem diuino semper adiuuari auxilio: Voluntatem autem & actionem nullo Dei adiutorio indigere*. Ita Augustinus cap. 41. de Grat. Christi, & sæpe antea. Ipse verò Augustinus pluribus enixè contendit non solam possibilitatem, sed voluntatem etiam, & actionem diuinitus adiuuari. Vnde concludit c. 47. *Si, vt dixi, consenserit Pelagius, ipsam etiam Voluntatem, & Actionem diuinitus adiuuari, vt sine illo adiutorio nihil bene velimus & agamus, eamque esse Gratiam Dei per IESVM CHRISTVM Dominũ nostrum, nihil de adiutorio Gratiæ, quantũ arbitror, controuersia relinquetur*. Nota Possibilitatẽ iuuari nõ posse, quin eo ipso iuuentur aliquo modo volũtas, seu volitio, & actio. Quia sicut Possibilitas est in ordine ad effectum; ita & Adiutorium Possibilitatis. Nec excogitari vllo modo potest, adiuuari volũtatem, & actionem, nisi per adiutorium adiunctum potentiæ volitiuæ, & actiuæ: Neque hanc potentiam iuuari quin aliquo modo iuuentur volitio, & actio, si ipsæ extiterint. Ergo dum Augustinus specialiter postulat Adiutoriũ, quod transeat in volitionem, & actionem solùm postulare potest Audiutorium, quod non hæreat in illuminatione, allicientia, & motione morali Arbitrij; sed insuper influxu physico immediatè cooperetur. Hoc enim est directè iuuare volitionem, & actionem adiutorio vtramque attingente immediatè, & superaddito vltra adiutorium attingens vtramque solùm indirectè per motionem moralem potentiæ. Quod secundum Adiutorium propterea Augustinus noluit appella-

pellare, *Adiutorium volitionis*, *& actionis*: quia ſupererat aliud,ſeu re, ſeu munere diuerſum, cui id nomen magis conueniret, ac omninò congrueret, propter attingentiam immediatam vtriuſque.

Iſtam eſſe legitimam trimembris illius celebris diſtinctionis intelligentiam ſuadetur ex eodem Auguſtino cap. 25. eiuſdem libri de Grat.Chriſti,vbi contra idem dogma Pelagij: *Quod poſſumus, Dei eſſe, non quod agimus*, ſic habet. *Nec ait, Spiritus Patris veſtri eſt qui vobis dat, vel dedit poſſe bene loqui; ſed, ait, qui loquitur in vobis; non ſignificans poſſibilitatis profectum. ſed exprimens cooperationis effectum.* Eodem pertinet, quod docet c.12.fine,& c.13. init. *Quà Gratià agitur, non ſolùm vt facienda nouerimus; verùm etiam vt credita diligamus* Et rurſus, *Simuul donat, & quid agat ſcire, & quod ſciūt agere.* Quorū primū cau alitatē moralē exprimit vtrobiq. Poſterius verò phyſicā efficientiā ſuperaddit, cum nihil ſuperſit aliud quod ſuperaddatur. Nec enim Auguſtinus tantum contendit, notitiam & ſcientiam à Deo datam talem eſſe, qua prælucente tantū,& alliciente,quod profectò eſt genus quoddam Adiutorij reſpectu operis,vt dictum eſt; ſed talem,qua adiuuante, adiutorio vtique diſtincto a pura Illuſtratione & allicientiā,perficiatur opus. Idem efficaciter ſuadetur ex duplici Mileuit.& Arauſicani Conc.definitione contra Pelagium. Mileuitanum ſic habet can. 4 *Si quis dixerit Gratiam per IESVM Chriſtum Dominum noſtrum, propter hoc tantùm nos adiuuare, quia per ipſam nobis reuelatur, & aperitur intelligentia Mandatorum, vt ſciamus quid appetere, quid vitare debeamus; non autem per illam præſtari nobis, vt quod faciendum cognouerimus, etiam*

fa-

*facere diligamus, atque valeamus, Anathemá sit*. Arausicanum verò definit, can. 6. *Per Spiritus Sancti infusionem, & Inspirationem fieri, vt credere, orare &c. prout oportet agere valeamus*. Sit loco commentarij distinctio Fulgentij l. 1. ad Monim. c. 9. *Inter velle & valere. Vnde cognoscimus, ait, Dei esse, & vt bonum facere velimus, & vt bonum facere valeamus*. Istud *Valeamus*, vltra *Velimus*, non potest diuelli ab efficientiâ physicâ, nisi diuellatur à propriâ & natiuâ significandi vi; & nisi dicatur perperam superadditum esse, & ineptè collocatum, alterum distinctionis extremum.

Adde Pelagium non rectè constituisse illud ipsũ *posse*, cui plusculũ subuenisse per Gratiam visus est. Neque enim vnquam concessit dari nobis *Posse* per Gratiam, præterquam Creationis; sed tantùm iuuari possibilitatem iam antè præexistentẽ adiunctâ vlterius aliquâ solùm facilitate; vt obseruat inter alios Suar. Proleg. 5. c. 3. ex Aug. c. 5. & 14. eiusd. lib. de Grat. Christi. Ipse verò Augustinus continuò probat, non tantùm iuuari per Gratiam nostrũm posse; sed etiam dari. Non autem idoneè dicitur, neq. verè, id dare *posse* (præsertim comparando simul & negando, non tantùm iuuari ipsum *posse*) quod non adijcit vim physicè effectiuam operis, sed solam applicationem, aut inclinationem adiungit viribus adæquatis efficientibus iam ante præexistentibus. Quandoquidem ergo Augustinus non contentus Gratiâ tantummodò iuuante *posse*, Gratiam præterea postulat conferentem *posse*, Gratiam profectò adstruit afferentem vim physicè effectricem operis salutaris quâ compleatur insufficientia physica nostræ voluntatis.

Ad-

Adde postremò tria Principia. 1. Actus salutares esse intrinsecè supernaturales, vt ostensum est quæst. 7. 2. Auxilia Gratiæ actualis adæquatè constitui per Illustrationes, & Inspirationes diuinitùs immissas, vt constat ex quæst. 15. 3. Actiuitatem physicam voluntatis non sufficere se solà ad eliciendos Actus supernaturales, quod nemo negat, & satis liquet consideranti quæ dicta sunt quæst. 6. Manifestū autē ex his est Auxilia actualia Illustrationis, & Inspirationis diuinæ, physica, immediata, iuuare volūtatē.

Ad 1. Negatur actus naturales indeliberatos, non influere efficienter in actus deliberatos naturales. Nec est in contrarium communis Authorum sententia, vt liquet ex Authoribus indicatis sub initium quæstionis. Imò Fonseca censet Sententiam esse communem, quæ tribuit efficientiam physicam actibus indeliberatis, respectu deliberatorum. Ad alteram probationem in contrarium, dicitur: Agentia naturalia incipere ab imperfectioribus effectibus, vt per eos iuuentur ad magis perfectos, vtque per tale iuuamen reddātur habiles ad plura simul efficienda, & compensetur per tale Adiutorium ea pars virtutis, quæ diuertitur in productionem eorumdem effectuum imperfectorum, nec necesse sit tātumdem subtrahere de productione magis perfectorū. Quod additur de maiori, vel certè non minori perfectione causæ quàm effectus, verū est de causa adæquata; non tamen semper necessariò verificatur de qualibet inadæquatà. Actus autem indeliberati simul cum voluntate, habent maiorem perfectionem, quam actus deliberati secundum se. Iuuat meminisse habituum naturalium, quos neque potentiæ naturales se solis, neque

H corum

eorum actus se solis producere possunt, possunt verò coniunctis viribus.

Ad 2. Actus voluntatis tàm naturales, quàm supernaturales dependent ex suâ naturâ necessariò ab influxu cognitionis, quâ diriguntur. Inde enim habent, nec aliunde habere adæquatè possunt rationem voluntarij sibi essentialem: Voluntarium enim est ab intrinseco cum cognitione, idque est illi essentiale, sicut & operationi rationali, vt rationalis est. Idem dicitur de conceptu amoris, & odij imitantium essentialiter affirmationem, & negationem intellectualē; cuiusmodi imitatio est propria effectus respectu causæ efficientis. Ad alteram probationem. Cognitio in ratione imaginis, & repræsentationis, se tenet ex parte obiecti: At in ratione eficientis, & permouentis voluntatem, se tenet ex parte potentiæ, & sub eàdem ratione influit in eius actum. Quod proportionaliter dici solet ab omnibus de specie impsessâ.

Ad 3. Habitus supernaturales non ideò dicuntur dare simpliciter posse, quia absque ipsis non possunt fieri vlli actus supernaturales; sed quia augmentum perfectionis, quod ex eorum influxu redundat in actus, nullo suo conatu supplere possunt potētiæ naturales, ideòq. sunt simpliciter necessarij ad id, quod præstant ex se. Habitus naturales è contrario sunt supplebiles per maiorem conatum potentiæ naturalis; atque ideò dant tantùm facilè posse. Quia in absentia ipsorum potest fieri difficulter illud ipsum, quod fit facilè præsentibus iisdē. Ratio huius discriminis est: quia perfectio habituum naturalium procedit ex præuijs actibus naturalibus præcontentis in potentiâ naturali, quæ proinde necesse est vt in-

se

e præcontineat perfectionem propriam eorũ habituũ. At habitus supernaturales habent perfectionẽ immediatè cõmunicatã à Deo & neq. mediatè, neq. immediatè præcontentam in potentià naturali, quæ proinde supplere non potest actiuitatem eorum in ordine ad actus emanabiles ab illis.

Ad 4. Non vbique omnia exprimuntur simul à Patribus; sed in testimonjis obiectionis cõtinetur causalitas formalis, absque exclusione efficientis; sicut in testimonijs superiùs productis à nobis, traditur efficientia physica, quin excludatur causalitas formalis, & intentionalis. Vnde nulla est discrepantia eorum testimoniorum inter se, aut à sententià traditâ. Præterea Augustinus eodem illo cap. 2. de gest. Pelag. subiungit sic: *Manifestum est, quòd si ad ignem manum mittit, & malum. & mors ei placet, id voluntas hominis operatur. Si autem bonum & vitam diligit, non solùm voluntas id agit, sed diuinitùs adiuuatur*. Vbi eo sensu negatur solam agere voluntatem, dum bene agit, quo priùs conceditur, solam operari dum malè agit. Ideòque pars physicæ actiuitatis tribuitur Gratiæ; ne plus deferatur voluntati in opere bono, quàm Deo in actu, qui malus est. De quà comparatione paulò post dicetur clariùs.

# QVÆSTIO XVIII.

## Vtrum Gratia Adiuuans, & Cooperans, sit tota ratio agendi actus Supernaturales?

VIDETVR esse totam rationem. 1. Quia vitalitas, voluntarietas, & similia omnia prædicata conuenientia actibus supernaturalibus, sunt & ipsa supernaturalia propter mutuam omnium formalitatum identitatem realem. At virtus actiua naturalis, quæ sola conuenit voluntati secūdum se, nequit immediatè attingere quidquã supernaturale propter diuersitatem ordinū, & improportionem potentiæ naturalis respectu effectus supernaturalis. Ergo voluntas nullam habet actiuitatem immediatam, vt quo, etiam partialem, etiam minimam, respectu actuum supernaturalium.

2. Cuilibet causæ partiali debentur omnia comprincipia & requisita, vt influat in effectum cuius est causa partialis; quia illis non habitis ipsa esset perperam in rerum natura. Ergo si voluntas esset causa partialis immediata actum supernaturailum. deberentur ipsi ex naturâ rei omnia comprincipia & requisita ad illos eliciendos, non minùs aut aliter, quàm ad eliciendos actus connaturales: Quorum scilicet comprincipia & requisita non ob aliam rationem debentur voluntati, nisi quia est causa immediata partialis illorum.

3. Sen-

3. Sententia adscribens voluntati actiuitatem partialem immediatam ad actus salutares, incidit in errorem Massiliensium, quatenus aliquod operum supernaturaliū, & Iustitiæ salutaris principium, seu initiū collocat in libero Arbitrio, & partim eidē, partim Deo & eius Gratiæ tribuit opus salutare, ac meritorium. Quod esse semipelagianum, probatur ex August. Quia suam illam antiquam sententiam; *Quod velimus, suum esse voluit, & nostrum*, tanquam semipelagianismum, retractat l.1.Retract.c.23. ibidemque dolet, se non satis olim agnouisse electionem Gratiæ secundum propositum, & quod totum tribuendum sit Deo, cum scriberet ante exortam hæresim Pelagianā. Ergo Augustinus antiquam suam sententiā, in quā continetur hec, quę modò impugnatur, agnoscit tandem Pelagianismi aliquā saltem ex parte ream. Rursus c.32.Enchir. ad Laur.& l.1.ad Simplic. q. 2. longè ante fin. docet idem Augustinus, non ideò dici: *Non est volentis &c.* quia voluntas non potest progredi sine Gratiâ in viâ salutis, ne similiter dici possit; Non est Dei miserētis sed hominis currentis, & volentis. Quia Gratia sine voluntate non potest edere opera salutaria, vti reipsâ non potest, si Gratia esset ratio partialis agendi sicut voluntas. Ergo Gratia non agit solùm partialiter cum voluntate, sed se solâ est tota ratio agendi.

4. Circa illud Psalm. 32. *Verbo Domini Cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum*; Sic ponderat Augustinus: *Non habuerunt aliquid ex se, & tanquam supplementum à Domino acceperunt. Spiritu enim oris eius, non pars sed omnis virtus eorum.* Ergo tota virtus actiua, & non sola partialis

est ex Deo, respectu operum specialiter diuinorum, idest, supernaturalium.

R. Dicendum est voluntatem attingere influxu partiali immediato actus supernaturales, ac meritorios vitæ æternæ, eosque elicere, adiuuante & cooperante Gratiâ; per concursum, non minùs, aut aliter, mmediatum; quàm sit concursus Dei & ipsius Gratiæ. Ita vt quod ad immediationem attinet virtutis actiuæ attingentis effectum per seipsam, nullum prorsus sit inter hæc tria discrimen, esto quoad alia quàm maximè differant inter se. Probatur 1. ex ipsa ratione Gratiæ adiuuantis voluntatem, & cooperantis voluntati; quæ duo attributa conuenire Gratiæ respectu nostri, est certum ex fide, vt liquet ex quæst 16. Eadẽ verò maximopere suffragari sententiæ propositæ, colligitur vrgentissimè ex Augustino non vno in loco: Audiatur l. 2 de peccat. mer. & rem. c. 5. fin. *Nec ideò tamen de, hac re* (de consecutione Iustitiæ) *solis votis agendũ est, vt non subinferatur ad nits etiam nostræ efficacia Voluntatis. Adiutor enim noster Deus dicitur; nec adiuuari potest, nisi qui etiam sponte aliquid conatur. Quia non sicut in lapidibus insensatis &c.* Et tr. 4. in Epist. Ioan. col. 4. cùm prætulisset; *Tamen quia agis ibi aliquid voluntate; ideò & tibi aliquid tribuendũ est;* subdit immediatè: *si dicis, Adiutor meus esto aliquid agis. Nam si nihil agis, quomodo ille adiuuat?* Significantius est; quod dicit ad illud Psalm. 68. *Adiuua nos Deus. Cum verò,* ait, *adiuuari nos vult, nec ingratus est Gratiæ, nec tollit Liberum Arbitrium. Qui enim adiuuatur, aliquid etiam per seipsum agit.* Fusiùs idem prosequitur serm. 13. de verbis Apost. propiùs ad med. quàm ad finem, circa illud: *Quotquot Spiritu Dei aguntur &c. Dicit mihi aliquis*

*aliquis. Ergo agimur, non agimus. Respondeo. Imò & agis, & ageris. Et tunc bene agis, si à bono agaris. Spiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adiutor est. Ipsum nomen Adiutorij præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis.* Et mox: *Non enim adiutor est ille, si nihil agatis: Non enim cooperator est ille, si nihil cooperamini.* In quibus omnibus, viuidæ ac facilè obuiæ ponderationis sunt pro scopo proposito; efficaciam nostræ voluntatis etiã adniti; nostram voluntatem etiam aliquid conari, quia non mouetur sicut lapis; aliquid nos agere voluntate, quod perinde est, atque voluntatem esse id, quo agimus: nos aliquid per nos ipsos agere, quæ reduplicatio manifestè addit aliquid supra id, quod est, nos agere vtcumque, seu supra agere vt principium *quod* tantùm. Præterea nos agere eà veritate, ac proprietate, qua agimur, nullo agnito inter vtrumque discrimine, ipsumque nomen Adiutorij, vtique prout vulgò communissimè accipitur, præscribere, quia & nos ipsi aliquid agimus. Quid autem nomen Adiutorij præscribat, absolute conceptum, & ex vulgari vsu facilè quisque colligit pro re propositâ.

Videri prætereà potest Augustinus serm. 43. de verb. Dom. c. 7. Videndus verò omninò est, Epist. 143. in qua cũ nihil agat aliud, quàm vt refellat Pelagium suggerentem Demetriadi Virginitatis donum non nisi in ipsâ, & ex ipsa Demetriade esse, subdit paulò post medium: *Quia etsi etiam ex illâ* (Demetriade) *propter Arbitrium proprium, sine quo non operamur bonum: non tamen sicut iste* (Pelagius) *dixit, Nisi ex illâ.* Idem docet paulò pòst de continentiâ Salomonis, scilicet, *propter Liberum Arbitrium proprium, aliquantum, & ex illo, non tamen nisi ex illo*

 *fuisse.*

*fuisse*. Solùm ergo displicet Augustino in Pelagio opus salutare non nisi ex nobis esse; non verò ex nobis etiam esse; ideoque conceditur ex nobis etiam esse, eodem vtique sensu, quo dicebatur à Pelagio, Non nisi ex nobis esse. Eadem doctrina habetur cap. 6. de Grat. & lib. Arb. prope fin. & cap. 14. post init. Vbi disputans contra Pelagianam Arbitrij sufficientiam ait: *Si merita nostra sic intelligerent, vt etiam ipsa esse Dei dona cognoscerent, non esse reprobandam istam sententiam & fidem non esse liberi tantummodò arbitrij*. Ergo Pelagius non errauit quatenus agnouit voluntatem agentem immediatè opera bona; sed quatenus constituit valentem agere se solà; & agentem non agente Gratià. Consonat his caput 17. de Nat. & Grat. continens reprehensionem arrogantiæ; *quæ citò*, inquit, *potest subrepere animo humano, vt quod bene operatur, suum tantummodò existimet*. Tota igitur reprehensionis causa est, *τὸ suum tantummodò*, ad quod *suū tantūmodò* nequaquam sufficit partialis influxus immediatus, vt patet.

Accedit August. D. Thomas multipliciter significās, & sæpè affirmans partialē nostræ volūtatis influxū immediatū ad opera salutaria. Audiatur locus illustris, ex. qu. 27. de verit a. 4. ad 12. *Dicēdū quod Anima agit disponendo se ad Gratiam virtute propriâ Naturæ: Sacramenta autem virtute diuinâ, vt eius instrumenta*. Vbi habetur Anima agens *vt quod*, vnde conuenit cum Sacramentis; *virtute propriâ Naturæ*, tanquam principio *quo*, vnde dissidet ab iisdem; *Dispositionem ad Gratiam*, quam esse operationem salutarem, & supernaturalem, nefas est negare: Eandē dispositionem, ait 1.2.q.109. a 6. ad 4. *Hominem facere per Liberum Arbitrium; quia volun-*

*voluntariè agens per se agit.* Quam rationem adhibet etiam. 1. p.q.29.a.1.c.& alibi. Absurdè autem diceretur principium *quod* agere per principium *quod* præcisè vt tale. Ergo Liberum Arbitrium est virtus, & ratio agẽdi vt *quo*. Deniq. eadem 1. 2. q. 114. a. 3. c. & q. 24. de verit. quæ est de Libero Arbitrio, art. 14. ad 1. ait: *Actus meritorios, & obseruationem supernaturalem mandatorum fieri quoad substantiam per Liberum Arbitriũ, quoad modum per Gratiam.* Quæ sententia desumpta est ex Bernardo lib. de Grat. & Lib. Arb. col. 5. Hæc autem partitio formalitatum nullum habet locũ, vt patet, vbi non adsunt duæ partiales virtutes agẽtes, vt *quo*.

Maius probationis pondus ducitur ex Concilio Trid. sess. 6. c. 5. vbi præmittit, *Adultos disponi per excitantem, & adiuuantem Gratiam, ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, liberè assentiendo, & cooperando Gratiæ.* Et mox subiungit. *Ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omninò agat, inspirationem illam recipiens.* Et postea concludit. *Vnde in sacris Literis cum dicitur, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, libertatis nostræ admonemur. Cum respondemus. Conuerte nos, Domine, & conuertemur; Dei nos Gratià præueniri confitemur.* Pende primò, quod est huic testimonio cum alijs innumeris commune, Gratiam excitare, adiuuare, cooperari, tangere & illuminare cor hominis. Vt quid autem excitaretur, tangeretur, illuminaretur principium, quantum est de se semper hæsurum, nihilque collaturum de suo? Et qua proprietate dici posset, adiuuari nihil ex se faciens, & cooperari, nihil ex se immediatè operans? Pende secundò particulam, *Ho-*

*mo ipse*, iunctâ particulâ, *Ita vt*. Nã reduplicatio illa, *Ipse*, manifestè denotat partitionẽ virtutis. Etenim vbi ea non adest, similis locutio vsurpari nequaquam potest. Nec enim dicitur: Aqua ipsa cooperatur calori producenti calorẽ. Particula verò, *Ita vt*; adiungitur ad explicandum modũ, quo seipsum conuertit homo, ideòq. ad superaddendum aliquid rationi principij *quod*, quæ iã antecedẽter erat præsupposita manifestè, neq. quidquã superaddi vlteriùs poterat, præter rationẽ agendi *vt quo*. Pende tertiò, exiguã admodum quantùm fieri, dici & cogitari potest, causalitatem attribui homini a Concilio per duas negationes, dum dicitur, *neque nihil omninò agere hominem ipsum*, idest, aliquid, sed admodũ exiguum, ac ferè nihil. Ille enim significãdi modus per geminas negationes vsurpari solet pro significãdâ tenuissima eiusmodi exiguitate præsertim adiũgendo *τò omninò*. Liberũ autẽ Arbitriũ in ratione principij *quod*, non solum agit non nihil omninò; sed totum omninò agit, vt est in confesso apud omnes. Ergo Libero Arbitrio adscribitur præterea Actiuitas partialis immediata *vt quo*. Sub qua ratione, quanta sit tenuitas, & quàm propè nihil in Libero Arbitrio paulò pòst clariùs apparebit. Pende postremò Intentionem Concilij in illo capite fuisse damnare errores eius temporis, & protegere in eadẽ re Doctores Catholicos, qui pugnabant contra illos. Neutrum autem præstitisset, si solam attribuisset Libero Arbitio rationem principij *quod*, quam scilicet, nec Lutherus, & Caluinus negabant; nec solam contra ipsos adstruere nitebantur Doctores Catholici. Quod multis vtriusque partis testimonijs demonstrant Montoya disp. 29. de Prædest. sect. 9.

Et

Et Ripald. diſp. 20. de Ente ſupern. ſect. 21.

Tot tantiſque Auctoritatibus ancillatur ratio haud quaquam obſcura. Actibus ſalutaribus & ſupernaturalibus conueniunt prædicata quædam communia ipſis, cum actibus naturalibus, quatenus exigentibus oriri immediatè à voluntate: Quædam verò alia conueniunt, quibus excedunt omnem actuum naturalium perfectionem. Ergo Actus ſalutares, ac ſupernaturales poſtulant oriri æquè immediatè à voluntate & Gratiâ. Patet Conſequentia quia effectus habentes prædicata poſtulantia determinatè ex conceptu ſuo principium aliquod influēs in ipſa immediatè, *vt quo*, non poſſunt non poſtulare idem principium eodem modo; ſicut habentes alia vlteriùs prædicata, non contenta formaliter in eodem principio, poſtulant neceſſariò ſimultaneam alterius prætereà comprincipii influentiam immediatam *vt quo*. Probatur antecedens primò, Quia vtriuſque generis Actibus communia ſunt eſſe actum vitalem, tendentiam intentionalem, aſſenſum, vel diſſenſum; amorem, vel odium; mentalem compoſitionem, aut diuiſionem; actionem voluntariam, electiuam, &c. Hæc autem prædicata ſunt, & non alia, ratione quorum poſtulat actus naturales immediatam emanationem à voluntate agente *vt quo*. Secundò, quia, Actus naturales totâ ſua perfectione conueniunt cum ſupernaturalibus, ſolâque imperfectione differunt ab iiſdem; nempe Ordo ſupernaturalis inſtitutus eſt, non vt homo careat aliquâ perfectione ſibi connaturali; ſed vt in vlteriorem, ac maiorem aliam perfectionem, non commutando præciſè; ſed ſuperaddendo promoueatur. Actus autem naturales, non poſtu-

H 6 lant

lant immediatum voluntatis influxum præcisè, ac formaliter ratione suæ imperfectionis, quæ videlicet nihil est formaliter, nullumque proinde habet principium aut causam directè influentem in ipsam; sed tantùm indirectò, quatenus inseparabiliter inest perfectioni postulanti directè influentiam causæ intendentis ipsam per se. Commune igitur est Actibus supernaturalibus, & naturalibus id, ratione cuius actus naturales essentialiter postulant oriri immediatè à voluntate, tanquam à virtute & ratione agendi *vt quo*; ac proinde actus etiam supernaturales idipsum æquè essentialiter postulant. Tertiò, Hoc specialiter commune est vtriusque ordinis Actibus moralibus, vt sint liberæ electiones. Electioni autem liberæ, vt tali, tam essentiale est oriri immediatè à potentia formaliter electiuà, qualis est sola voluntas & non Gratia; quæ nimirum ad alteram partem, quæ mala est, influere nequit; quàm essentiale est effectui supernaturali oriri immediatè à causa supernaturali; visioni à potentia visiuà, auditioni ab auditiuà, &c. Vnde Augustinus vbique attribuit voluntati tanquam suo principio formali rationem liberæ electionis repertam in actibus supernaturalibus, v. g. cap. 34. de Spir. & lit. *Consentire, vel non consentire propriæ voluntatis est*. cap. 3. de Grat. & Lib. Arbit. *Velle & nolle propriæ voluntatis est*. Lib. 1. de peccat. mer. & remiss. c. 22. *Vt iste credat, ille non credat quod est propriæ voluntatis*. In ratione vtique liberæ electionis, quam præ se fert modus loquendi Augustini, & de quà in illis locis agebat; atque hoc ipsum vsurpat vbique, vt principium per se notum, quale omninò est.

Accedit

Accedit validum argumentum à paritate ad hominem. Quantum eleuantur actus ſupernaturales vltra perfectionem actus naturalis honeſti, tantumdem infra eamdem demittuntur actus peccaminoſi; & quantum naturalis perfectio voluntatis diſtat à perfectione propriâ ordinis ſupernaturalis; tantumdem, vt minimùm, diſtat ſanctitas infinita Dei à malitiâ, & iniquitate noſtri actus mali. At non obſtante illâ imperfectione, & hac diſtantiâ, influit Deus immediatè per ſuam omnipotentiam, tanquam per rationem agendi, *vt quo*, ad totam bonitatem phyſicam & entitatem actuū noſtrorum, qui mali ſunt, quod eſt indubitatum apud Aduerſarios ſententiæ, quæ à nobis defenditur. Ergo non obſtante illâ perfectione, & hac aliâ diſtantiâ, poteſt influere Voluntas tanquam ratio immediata agendi, *vt quo*, ad actus ſupernaturales, ſecundum perfectionem & prædicata ipſis communia cum actibus naturalibus. Confirmatur. Quia ſicut dicitur de actibus ſupernaturalibus: *Omne donum perfectum de ſurſum eſt; Deus eſt qui operatur; Non eſt volentis, neque currentis*: Ita etiam dicitur: *Perditio tua ex te*: *Vos ex Patre Diabolo eſtis; Concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, non ex Patre, ſed ex mundo eſt.* Ergo ſicut non obſtantibus iſtis poſterioribus teſtimonijs adſcribitur Deo influxus immediatus partialis in actum, qui malus eſt; quatenus is habet bonitatem aliquam phyſicam, atque Deus eſt principium totius omninò bonitatis: Ita etiam adſcribendus eſt Voluntati humanæ influxus immediatus partialis in opera ſalutaria, quatenus ſunt liberæ electiones, habentque alia prædicata iam commemorata, pertinentia

tia propriè ac formaliter ad voluntatem humanam. Audiatur insinuatio huius paritatis ex Fulg.lib. 1.ad Monim. cap.21. *Sicut competit Deo, vt sit causa totius operis boni; sic incongruum est vt imputetur causa cuiuslibet operis mali*: & ex Hilario in Psalm. 118. *Est quidem in fide manendi à Deo munus, sed impediendi à nobis origo est.* Præiuit vtrique Augustinus lib. 2 de pec. mer. & rem c. 18. *Quocirca quod à Deo nos auertimus, nostrum est, & hæc est voluntas: Quod autem ad Deum nos conuertimus, nisi ex ipso excitante, & adiuuante non possumus; & hæc est voluntas bona.*

Obseruandum est occasione huius argumenti, multò plus aduersari nostræ, omniũque Scotistarum, & Theologorum Societatis, aliorumque sententiæ, improbabilem, & meritò quæst. præced. reprobatam sententiam Aureoli, & Bacconij adscribentium voluntati totam rationem agendi, ac influendi in actus omnes salutares, & concedentium Gratiæ tùm actuali, tùm habituali solam causalitatem formalem, ac moralem, quàm sententiam attribuentium soli Gratiæ totam rationem agendi, vt quo. Quia nos multò plus attribuimus actiuitati physicæ Gratiæ, quàm actiuitati partiali voluntatis; quandoquidem attribuimus voluntati ea sola prædicata, per quæ actus supernaturales conueniunt cum actibus naturalibus; Gratiæ verò totum excessum, quo actus supernaturales naturalibus præcellunt. Hic autem excessus continet in se cumulum perfectionis multò maiorem, quã prædicata illa communia ordini naturali & supernaturali. Hæc porrò inæqualitas, hoc pacto distributa formaliter, est in primis conformis Anselmo cap. 3. Concordiæ

col. 3.

col.3. aienti: *Nempe quamuis illa* (rectitudo), *seruetur per liberum Arbitrium; non tamen est tantum imputandum libero Arbitrio, quantum Gratiæ; cum hac &c.* Eadem deinde insinuatur expressione manifesta, à Concil. Trid. & à D.Augustino in locis supra indicatis, quatenus dicunt. *Vix ipse aliquid agere intelligitur*: & *homo ipse non nihil omninò agit.* Quæ depressiones & limitationes congruunt optimè actiuitati partiali vt quo liberi Arbitrij, immediatè quidem, sed debilissimè influentis; Cum accommodari nisi absurdè nequeant substantiæ hominis, atque eius Arbitrio præcisè quatenus est principium quod. Quia sub hac ratione principij correspondēt ipsi actus supernaturales æqualiter quoad omnia sua prædicata & formalitates, vtcumque considerata. Ob hæc igitur omnia, constantissimè tenendum est, liberum arbitrium Gratiæ adiuuanti, & cooperanti coagere, & cooperari partiali influxu immediato, vt non sit Gratia Dei sola, nec homo solus; sed Gratia cum homine, vt ait D. Paulus, quæ operatur salutem, & perducit in vitam æternam.

Ad 1. Ea obiectio, si quid conuinceret, euerteret funditùs omnem plurium causarum partialium confluxum respectu effectus realiter indiuisibilis. Quia in quolibet eiusmodi effectu, prædicatum formaliter correspondens vni cuilibet causæ partiali est identificatum realiter cum prædicatis, quæ correspondent formaliter cæteris causis partialibus. Vnde retorquetur argumentum eàdem vi contra Aduersarios; Est Vitalis, Voluntaria, Libera, Electiua, quorum nihil continet in se Virtus actiua, quæ nec est Electiua, nec Vitalis, nec volens; qualis sola actiuitas conuenit Gratiæ. Dicitur ergo,

go, potentiam naturalem non posse se solâ attingere quidquam supernaturale; posse tamen adiutam comprincipio supernaturali. Improportio & diuersitas ordinis, solùm probat non deberi voluntati comprincipia omnia requisita ad actus supernaturales; non tamen non posse eidem illa communicari: Nam, vt dicit August. cap. 5. de Prædest. Sanctorum; *Posse habere fidem, sicut posse habere Charitatem, Naturæ est hominum: Habere autem fidem quemadmodum habere Charitatem, Gratiæ est fidelium*. Nempe voluntas propter suam vniuersalitatem, quà distenditur ad rationem Entis, est eleuabilis ad omnes eius differentias; sed vt actu eleuetur ad eas, quæ sunt supernaturales est purè gratiosum. Est autem ex se satis manifestum, non propterea potentiam aliquã esse incapacem influxus immediati in aliquẽ effectum; quia nequit illum producere se sola; sed posse habere proportionem in actu primo proximo respectu alicuius effectus ex adiuncto sibi comprincipio, quo nondum habito, non habebat proportionẽ, nisi in actu primo remoto. Hoc est erat proportionabilis, licet non proportionata proximè. Quod similiter dicant Aduersarij necesse est de Anima considerata, quatenus est principium *quod* actuum supernaturaliũ. Neque enim potest exercere potentià proximà genus istud causalitatis & principij, nondum habità virtute supernaturali agendi, per quam redditur ad hoc etiam proportionata, cùm ex se non esset nisi proportionabilis tantùm.

Ad 2. Debentur quidem cuilibet causæ partiali omnia comprincipia, & requisita, sine quibus nequit exercere totam suam actiuitatem, & communicare effectibus totam

tam perfectionem contentam in ipsà. At quæ ad neutrum horum necessaria sunt; sed solùm superadduntur ad dandam effectibus maiorem perfectionem, quàm quæ continetur in eàdem causa partiali, nequaquam eidem debentur ex naturà rei; sed omninò gratuitò illi adijciuntur. Quia vt aliqua causa partialis non sit posita perperam in rerum natura, eiusdemque exigentiæ innatæ, ac proportioni intrinsecæ satisfiat adæquatè, sufficit, vt patet, illud primum: Ideòque hoc secundum, vt concedatur, pertinet ad benificentiam Dei purè gratiosam. Voluntas autem exercet totam suam actiuitatem, & totam perfectionem contentam in ipsà communicat effectibus producendo solos actus naturales. Nam in actibus supernaturalibus adijcitur prætereà perfectio aliqua minimè contenta in voluntate; Aliàs enim supernaturales non forent. Ergo solùm ad actus naturales, non verò ad supernaturales debentur voluntati omnia comprincipia & requisita, licet vtrorumque sit causa immediata, *vt quo.*

Hinc fit, vt voluntas dum elicit actus supernaturales, dicatur agere per potentiam obedientialem; per potentiam verò naturalem, dum elicit actus naturales. Quia actus naturales elicit agendo iure velut suo, & cum comprincipijs sibi omninò debitis; Supernaturales verò præcise quatenus subest gratiosæ & purè liberali voluntati ac prouidentiæ Dei eleuantis hominem vltra conditionem suæ Naturæ per auxilia prorsus indebita; Esto vtrobique sit eadem entitatiuè, ac realiter virtus actiua Voluntatis, solùmque extrinsecè ac connotatiuè diuersa. Simili ratione dicitur actum supernaturalem oriri à voluntate, quatenus est

vitalis

vitalis, voluntarius, liber, ac electiuus; non autem quatenus est supernaturalis, proportionatus visioni beatæ, & similia: Ex Gratia verò è conuerso, nimirum quia licet totus actus realiter ab vtralibet procedat totalitate effectus, & partialiter solùm partialitate causæ; sola tamen illa prædicata communia actibus naturalibus & supernaturalibus existunt vi & exigentia voluntatis, ob rationem datam: Cuius præterea signum est, ea prædicata exequi voluntatem etiam absente Gratia, cum supernaturalitas actus, & quæ cum supernaturalitate conuertuntur, non fiant nisi vi & exigentia Gratiæ, nec ea absente fieri possint. Vnde vitalitas actus supernaturalis, quà vitalitas est formaliter & præcisè neque supernaturalis est, neque naturalis determinatè; sed præscindens ab vtràque istà differentià. Eadem est ratio de similibus prædicatis.

Ad 3. Quantum distet nostra sententia à toto errore Pelagij, ideòque & à Semipelagianismo, sitque omnino conformis Augustino: constat inter alia clarè ex superioribus probationibus nostris, præsertim §. *Videri præterea*. Sententia, quæ opponitur ex lib. Retractationum, non habetur eo loco in proprijs terminis; habetur tamen alia illi æquiualens, quàm ibi retractat, idest, iterùm tractat, & considerat. Non tamen dicit esse falsam, sed verissimam. Audiatur post medium illius capitis 23. *Nostrum est enim credere, & velle; illius autem dare credentibus, & volentibus facultatem benè operandi per Spiritum sanctum, per quem charitas diffunditur in cordibus nostris*. Hæc est antiqua D. Augustini sententia, quam retractat: Subiungit autem immediatè sensum eius legitimum his verbis. *Verum est quidem*

*quidem; sed eàdem regulà, & vtrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem: Et vtrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis.* Perstat ergo post retractationē, & per eandem confirmatur sententia, pro nobis citata superiùs; quòd opus salutare ita sit Dei, & Gratiæ eius, vt simul sit nostrum, solùmque displicet Augustino discrimen, quoad hoc inter fidem, & alia opera subsequentia, quo recedit à Semipelagianismo, in quem anteà inciderat, attribuendo fidem soli libero Arbitrio, solà exteriori vocatione præmunito; Opera verò subsequentia Gratiæ simul & libero Arbitrio; idque ipsum peragit toto illo capite; hoc est, nihil agit aliud, quàm vt confirmet nostram sententiam, & stabiliat, ideò totum esse Dei, quia nec fidem, nec vllum prævium conatum salutarem habemus, aut habere possumus, nisi præueniente Dei Gratià vt velimus, & credamus, eàdemque subsequente vt præstemus quod voluerimus, seu quod volitum à nobis antecedenter fuerit, in initio conuersionis ad fidem, scilicet bene agere, & semper beatè viuere, quæ est res volita in initio conuersionis, vt ipse Augustinus exponit clarè, non satis obseruatus à nonnullis, dum dicit Lib. 1. ad Simpl. q. 2. *Vtrumque tamen nostrum esse, quia vtrumque, nempe vt velimus, & quod voluerimus* (volitio, & res volita) *perficiuntur nostrà voluntate.* Patet igitur solùm displicere Augustino, suã antiquam erroneam partitionem operum, qua fides, & primæua bona desideria soli adscriberētur voluntati; soli verò Gratiæ vlterior operum salutarium progressus, à quo sensu partialitatis, & diuisionis operum nihil est alienius quàm nostra sententia, vtrobique adhibens Gratiæ præuentionem,

nem, & adiutorium, atque voluntatis consensum & cooperationem, ideòque solam admittens partialitatem ex parte causæ, nullumque opus salutare eximens a præuentione, necessitate, & cooperatione Gratiæ.

Quod attinet ad loca ex Enchiridio, & ad Simplicianum; refertur quidem legitimè doctrina Augustini, circa differentiam illarum propositionum causalium; sed non refertur legitimè ratio, ob quam altera illarum verificetur, altera non verificetur: Rationem namque discriminis nequaquam reuocat Augustinus in actiuitatem seu rationem agendi soli Gratiæ conuenientem, quam ne insinuat quidem vel leuiter: sed in præparationem voluntatis præstitam à solo Deo, iuxta ea, quæ de Gratia præueniente dicta sunt quæst. 16. Quia scilicet præparatur voluntas à Domino, vocatione quæ est secundum propositum Dei: quæ præparatio non est in nostra potestate, eademque iam sic positâ à Deo, non possumus non consentire & bene operari in sensu composito propositi diuini, & vocationis, quatenus substantis eidem proposito. Quæ est optima ratio dicendi: *Non est volentis, neque currentis; sed miserentis Dei*; vtpote præuenientis, dantis sufficientiam, simulque efficaciter præparantis. Quia verò nihil simile præstat voluntas respectu, aut eius Gratiæ, aut præparationis ac misericordiæ, patet non posse similiter verificari, non est miserentis Dei, sed hominis volentis, & currentis. Hoc autem totum nihil prorsus facit pro actiuitate partiali, aut totali Gratiæ, cum ea præparatio fiat ante omnem efficientiam physicam Gratiæ per solam eius opportunam, & specialiter beneficam

infu-

infusionem. Quam in rem oportet integrè legere loca in obiectione citata; sed maximè locum illum ad Simplicianum, quod est clarissimum pro legitimitate, & sinceritate nostræ responsionis.

Ad 4. Testimonium illud non est è re præsenti. Quia Augustinus in illis verbis loquitur de Cœlis materialibus, & *Virtutem* accipit non pro actiuitate efficienti, sed pro soliditate, quà in se subsistunt, vt patet ex contextu. Cùm verò postcà ab illis verbis: *Interim exceptis illis Cœlis*; digreditur ad accommodationem respectu Apostolorum per Allegoriam, solùm docet Indigentiam, & abundantiam Gratiæ diuinitus illis datæ, vt inde in cœteros mortales emanaret. Quod nihil habet commune cum quæstione præsenti. Deinde vt ageret de parte virtutis sumptæ pro actiuitate, accipiendus proculdubio esset iuxta sensum frequentem eidem Augustino agenti contra Semipelagianos, de partialitate reali, ex parte actuum voluntatis, quorum alios soli voluntati, alios Gratiæ & voluntati, illi adscribebant: Augustinus verò contendit omnes prorsus actus salutares, & ad iustificationem etiam remotissimè disponentes procedere ex Gratiâ; Ideòque totum & non partem Dei esse. Quam in rem videri potest idem Augustinus cap. 6. & 13. de prædest. Sanct. nec non Prosper lib. contra Collat. pænè per totũ, quorum doctrinam mirum valdè est à nonnullis trahi contra nostram præsentem doctrinam; cùm manifestum sit, solam in illis reijci partialitatem operum modò indicatam, nullo verò pacto partialitatem comprincipiorum respectu eorumdem omnium operum. Hæc de Gratiâ dixisse sufficiat pro Romana, præsertim dispu-

puta-

# Errata sic Corrige.

Pag.4.ver.34. Africanis. Africanis Ep.95. p.10. v.23. posse non restringi. Posse restringi. p.13.v.21. ea natura. ex natura. p.15. v.16. potestatis, vt. potestatis facere & non facere, vt. p.48.v.26. conferre pure positiue. conferre positiuè. p.55. v.11. emisit. omisit. p.57.v.2. reliquis. reliquos. p.59. v.36. subintelligere. subintelligi. p. 63. v.28. quod. vt. p.68. v. 7. Gratiam intelligentiæ. gratiæ intelligentiā p.73 v.6. Manichæi alterius. Manichæi cōminiscebantur cōmixtionem a Deo factā duplicis animæ alterius naturæ. p.80.v.36. à posterioribus. ab exterioribus. p.81.v.15 descendere possint. descendere per lineam rectam. p.85.v.5. exigentia causarum. exigentia indeterminata causarum. p.85. v.8. obligatione. applicatione. p.85. v.35. omnia siue. omnia gratuita siue. p.106. v.19. bene vel male. operandum. bene sic vel aliter operandum. p.110. v.31. Tertium est vt. Tertium est sæpe contingere vt. p.111. v. 16. orationes, gratiarum actionis. Orationis gratiarum actionis. p.113. v.38. in causis. in causis eadē ratio gratiæ in ijs quoque cōcluditur. p.114.v.34. Potētiæ.impotentiæ. p.116. v.34. Circumstantiam. Circumstantiarum. p. 120.v.28. sufficientia. insufficientia. p.125.v.11. Augustinus in contrarium de perfectione. Augustinus de perfectione. p.136.v.1. Naturæ fieri. Naturæ puræ fieri. p.137. v.17. tentationes, nec. tentationes non sunt continuæ, nec. p.142. v.20. operationum. Inspirationum p 142. v. 27. & inclinare. Ergo Deus potest illam inclinare.

# INDEX

## Rerum contentarum in Quæstionibus de Gratia.

### A

Quod

D



G

H



I



colle-

Ratio

R



S



T



V



Velun-

F I N I S.